

sed quicquid libuit hoc sibi licere putavit. [Manus recentior.] Cum igitur gratiola domina Maria Henrici Brinsicensis filia Abbatialem resignasset dignitatem Magdalena de Columna ex Bohemorum Comitis exorta in Abbatissam consensu capituli eligitur.

MARGARETA soror Magdalena in Abbatissam eligitur 1567.

ANNA ERICA Comitissa de Waldeck eligitur 1589.

[Veteri manu sequentia in fine hujus libri adscripta erant.]

*Doctoris Marci Holtbusen Decani Montis Sancti Mauriti  
prope Hildesheim informatio quædam super im-  
petitionibus bonorum.*

**S**i quis dixerit bona aliqua ad se tanquam heredem pertinere, ostendat titulum; cui succedit.

Si dicit bona esse Emphyteotica, ostendat formam contractus, qui in eo est comprehensus.

Si dicit bona litonica, designet officium, ad quod spectent & pertineant.

Si dicit bona censualia, ostendat contractum concessionis sibi aut successoribus [antecessoribus] suis factum.

Si vero nullum prædictorum verificare potuerit, imponatur ei silentium super molestatione & impetitione tentatis.

XXVIII.

SELECTA  
EX

CHRONICO CLVSINO

HENRICI BODONIS,

Ex MSto.

*In Chronica subsequentia prooemium.*

**O**peræ pretium se facturos nonnulli putaverunt, si, quæ suis temporibus gererantur, non letheis operiri finerent aquis, sed ea potius mandata litteris ad noctitiam transmiserent posteritati. Quos equidem à vero hallucinatos, ut ausim dicere minime, ita optime etiam meritos, ratione veri arbitra compulsus, a se vero rectissime. Per præteriorum namque rationem sapientissimi cuiusque animus divinatur futurorum exitum, maiorumque ductu studia iuniorum redduntur lucidiora. Tuitior ac audacior fit animus adversus casus veterum lectione; sapiens sapientior, erit, & cuncta ratione quadam & tractabit & gubernabit, quandoquidem negligenter actorum casus cautelam illum doceat, & providi etiam viri naufragium, imprudenti portum stabiliorem demonstret. Miltiadis egregia facinora litteris mandata Themistoclen de somno excitaverunt, & ad trophea capessenda sua vi, (ut ita dixerim) armavere. Alienæ virtutis lectorem Theramenem, quod a litteris virilitatem contraxerit, dixisse ferunt. Citatum huc velim regem illum potentissimum Assverum: ad stipulabitur enim dictis. Adeo namq[ue] rem illam dilexit tantique estimavit, ut cum insomnem ac latitudinem plenam noctem duceret, historias & annales sibi presentari, & legi coram se fecerit. Quid igitur? O litterarum vim! O maiestatem! O donum & quidem peculiare, ab omnium moderatore seculorum reo hominibus datum! cui quid (dummodo non perperam eo utatur quis) æquiparari possit, neutquam invenio.

Quid enim litteræ veterum testes & absentium vice fungentes. Inter metales plurimum virium habent: per illas enim & alloqui absentes non secus atque præsens valemus, & audire, quos non videmus; quin & vita longiuscule iam functis per litteras quas reliqueremus, quasi coram positis utimur doctoribus. Huius proinde rei tan nobilis tamque utilis rationem habendam Venerabilis Pater ac Dominus Conradus, canonici uetus moderator, censuit, maxime cum nos videremur tempora incidunt tribulationum & oppressionum feracissima ac nunquam seculorum oblivioni danda. Indignum ob id & rationabsonum esse iudicavit, si quæ vel dura necessitate coacti passi fuimus, vel pro virili in tanta rerum perturbatione resistendo, Dei gratia nobis propitia, defendimus, perinde atque super spongiam incubuiscent, oblitterarentur. Ceterum cum de diebus nostris tantum historiam texere, quasi

quasi prolem acephalam edere arbitraretur, post tergum putavit respiciendum, & ab ipso fundationis cœnobii huius anno exordiendum, atque vel de dextro vel sinistro temporum rerumve successu, quidquid obvium se offerret, litterarum monumentis tradendum duxit. Cuius quidem rei cum paterno me affectu intrare provinciam ad monitum haberet, licet imparem mandato me sentire: illius tamen, ut par fuerat, voluntati haud dubitavi obsecundandum; & labore maiore posteritatis nostræ amore aggressus sum, quam certiore spe perficiendi tentare ausus. Cum enim a cœnobii fundatione anni ferme quadragesimi fluxerint, & quæ fortuna, ut dicimus, vel maioribus nostris arriserit, vel eosdem, (ut fieri assolet, alterna cum vice illa inter mortales versatur) presserit, inexploratum nobis mansisset: unde scripturus ordiner, non præsto fuit. Malo namque omne actum est, ut vel incuria antecessorum nostrorum, vel etiam amissione, de loci fundatione aut fundatorum notificatione ad nos transmissum sit prorsus nihil, præter tamen consecrationis ecclesiæ annum. Ad privilegia proinde illa quidem paucula, quæ in manus nostras venerunt, oculos convertimus, & ex illis, quicquid ad intentionem nostram oportunum iudicavimus, avide satis excerpimus. Deinde litteras in bonorum vel venditionibus vel oppignorationibus confessas perlegentes, ea quæ ad scopum nostrum spectare videbantur, & aliquid notatum dignum & scitu utile habere iudicavimus, id excerptum, nostris inferimus litteris. Postremo & non exiguo labore vetustissimos codices vel libros revolvimus, non secus atque arguta apis, scrutando, si quid lateret, alvearibus nostris inferendum; quo uno sçpe, cooperculis librorum solutis etiam semiesis, quod cordi fuerat invenimus insperato: quibus quasi a longo in unum comportatis, ea, quæ ad vos, o fratres, hoc codiculo transmittimus, multo charitatis affectu conscripsimus, minime logodelatos imitantes. Non enim phaleris usi sumus neque Demosthenis oleo; sed neque Tulliani pavonis caudæ aliquid abstraximus, quo incultum loquendi nobis modum adornaremus. Sufficerit nobis veritate splendescere nostrarum litterarum monumenta; quippe, qui utilitati non ostentationi operam impertivimus nostram. Faxit Deus non nostro frustremur scopo, quem scribendo intendimus; & ubi aliquid scitu dignum offenderitis, bene, rogamus, precemini nobis. Fraternitatis nostræ, nec ipsa dira morte auferenda memores, requiem vita funèbris orate. Bene vos valete, ac spectate integritatis viros ille faciat, qui omnium corda hominum manu sua tenens dirigit in finem usque. Datum Clusa, anno incarnationis Dominice supra Millesimum quingentesimum vicesimo tertio.

Nostris aspiret cœptis pia gratia sacri Flaminis: optati faciens attingere portum Litteris; ut profit labor hic & posteritati.

#### *Nominis ratio.*

**A**Dscribendum accincto, continuo nomenclatura ratio sese mihi obviam præbens, omnium primò petere visa est absolutionem. Justæ petitioni fauens, nomen huic Cœnobio ab eventu relictum designo: quippe cui *Clusa*, ab antiquo hoc in loco constructa, illud vocabulum transmiserit. Peremptæ namque matris nomen, filia nascentis vocabulum factum est; quamvis ad rei veritatem multo melius, cum Cœnوبium hoc veteris *Clusa* locum occupet, *Clusiacum* esset appellandum. Ceterum quis incultum hunc locum, & eo usque solis setigeris porcis ac lupis infestis aptum, primus initiauerit, certi nihil nobis relictum est, præter id, quod *Kalendariæ antiquissimæ* frater quispiam nostræ notitiae offertur *Walingus* nomine, sacerdos & monachus, qui loci primus inhabitator fuisse describatur.

Insuper & habitatiunculae illi, quam Clusam vulgo nominarunt, facillum sive, ut dicunt, *capellam* fuisse proximam, ex veteri admodum missali nobis proditum est; in quo designatum notula vidimus, quod altare sancti Michaelis, inter turrem ecclesiæ erectum, compensatio nis vice altaris illius, quod in memorato facello extructum fuerat, sit ædificatum 1159.

Gaudebat autem & vetus illa Clusa fonte lucido, qui ab eo tempore *Georgianus* fons vocatur, magni revera pretii; perspicuas & utiles aquas Cœnobii necessitatibus evomens & quidem sufficienter.

#### *De Cœnobii fundatione.*

**T**empsus quidem fundati Cœnobii libris donationum factarum, ad nostram notitiam dicitur; at fundatorum & nomina & memoria pariter cum tempore, male profecto de ipsis meritum negligentia, irrevocabiliter præterisse dolemus.

Quo tamen ad nos fama veterum perlatum est, non præteribimus, sed lectoribus piis illud relinqere curabimus. Quempiam Divi Georgii oppido *Gandefiano* adiacentis ecclesiæ presbyterum dico autem *Plebanum*, hunc locum una cum Abbatissâ maioris ecclesiæ fundasse maiores natu errâ dixerunt. De Plebanô autem nihil unquam offendimus, litterarum monumentis tradidum. Ceterum præter Abbatissâ vel consensum vel auxilium hoc loci aliquid fundare construere potuit omnino nullus, cum neque pedis unius locum sibi quis usurpare potuisset, it ex sequentibus patebit. Hinc si quis Abbatissam cœnobii huius fundatricem opinatus fuerit, is hallucinari iudicandus non est; idque maxime, cum proxime nostris

stris introducende narrationibus, maternum in fratres huius pridem fundati cœnobii affectum, litteræ pandant.

Anno præterea virginæ partus millefimo centesimo vicefimo quarto, Indictione tertia, regni vero Hinrici Quinti regis huius nominis, Imperatoris autem quarti, decimo nono, Barroldi autem Episcopi Hildesianorum sexto, sub Abbatissâ Gandesianæ ecclesiæ Athelbeidi, Imperatoris quarti Hinrici sorore, tertii vero Hinrici filia, hoc monasterium per Reverendum Patrem ac Dominum iam dictum Bartholdum Episcopum Deo dedicatum est in honorem Deiparæ Virginis Mariæ, sanctæ Crucis ac Divi Georgii martyris & omnium Sanctorum.

Nobilissimam proinde illam Abbatissam Athelbeidem hunc locum sive cœnobium fundasse, arbitramur eo ansam accipientes, quod primo foundationis loci anno, cum fratres ad ignis fomenta & ad construenda ædificia, lignis egerent, hacque necessitate circumposita etiam ad ianuas usque cœnobii ligna inciderent, delati ob factum ipsi Abbatissæ: ipsa non ægre solum non tulit, verum etiam, ut litteræ testantur, materno affectu condolens, hac etiam in necessitate illi consulere voluit, & silvam locum hunc circumdantem, pariter cum terra, super quam succreverat, legitima donatione contribuit. Erat enim, quod maximæ illi datur laudi, ut generis nobilitate mundo clara, ita (litteris testantibus) morum quoque probitate Christo Iesu dedita: quam proinde materno in nos fuisse affectu litteræ tradunt; quam quoque pandunt, & in hoc ipso nostræ affuisse necessitati; nonnihil & ante hanc donationem nobis contulisse fatis superque insinuare videntur. Unde autem illius beneficiorum magnitudo oblitterata sit, indicare haud quimus; arbitramur vero, ob citam ipsius post cœnobii foundationem mortem id partim accidisse; nam paucis post eam annis ipsam Gandesianæ ecclesiæ præfuisse legimus; partim etiam, quod inficias ire non possumus, ob fratum tunc temporis hic degentium non inculpabilem incuriam.

*De Abbatibus, suis temporibus cœnobialis vita hic  
institutæ moderari solitis.*

Recta cœnobii fabrica & divino cultui adaptata, mox regendæ imo & instituendæ vita cœnobialis constituitur Abbas nomine Hinricus, omnium & vocabulo & dignitate primus, cui associatur Præpositus, nomine Walterus. Sub horum tempore, hoc est anno Domini 1124. foundationis vero cœnobii primo, Illustrissima Domina Athelbeidis, ecclesiæ Gandesianæ Abbatissa, silvam qua hodie usque latet, huic cœnobio contulit, & brevi post tempore vi. tæ concedens migravit, ut speramus, ad astra.

Anno deinde 1125 erat nobilis quidam vir Geltmarus nomine, ex nobilis Dominæ ac Abbatissæ Bartæ officialibus, qui in feudum ab ipsa Domina tres mansos in Lutholvenen habuit, paucis illic cultoribus commorantibus, unde loco accesit villa nomen. Hic divino in se agente spiritu, eos ipsos, quos diximus, agros meditabatur Deo in novo hoc cœnobio servituri contradere. Quod, inconsulta bonorum ipsorum vera domina, minime sibi integrum esse, in mentem revocans, ipsam super re convenit, suppliciter exorans, id sibi pie indulgeri ab ea, & consensu piissimo roborari. Pulsanti ianua patuit, oranti concessum est; & ipsa donatio facta hoc in loco, invisiante Domina Abbatissa cœnobium, anno quo supra, quinto decimo Kalendas Iulias. Patent hæc in privilegio sive litteris donationis eiusdem.

Interea vero temporis Cluniacensis monasterii reformatio divina revelatione & coepta & perfecta; & ex eodem monasterio in alias circumpositas terras propagata, collaborante Hugoni Abbati patre Vldarico Alemanno, sui odorem ubique respersit, & plurima cœobia a destabili consuetudine avocata, limitibus avitis assentire fecit, maximè, cum tempus, ut ita dixerim, eos adiuvare ad rem videretur. Eo namque tempore ex Divi Patris Benedicti ordine tres in summos meruere Pontifices vicissim extolli, quorum medius Casinensis Abbas, extremorum autem alter Prior, alter monachus Cluniacensis cœnobii fuit. Horum gratia venerabilis pater Hugo plurimum potuit.

Dicitæ itaque reformationis dum odornares perfudisset illustris Dominæ Lutgardis Abbatissæ, & instabilitatem personarum huius loci, nec non Brunibeshusensis cœnobii indoluisse, ultra non ferendam eam iudicauit. Hinc admittente ad rem ipsam hujus loci quodam Patre nomine Adelbardo Rectore puto aut Præposito, ex ipsa reformatione quosdam fratres huc loci advehit, bene de loco merita ad potestatem, qua in cœnobium fungebatur. Hæc est illa, quæ invictissimum Imperatorem Lotbarum Tertium, tunc quidem Goslaria agentem; nec non & episcopum Hildesianorum Bernhardum, huius monasterii gratia accessit, & bonorum huic loco condonatorum confirmationem, & utilisima fratribus privilegia ab illis, ut voluit, impetravit, per omnia, ne de presentibus solum, sed & de omnibus futuris, optime omnino merita.

Xx 2 Vno

*Vnio monasteriorum Clusæ, & Brunteshusen.*

**P**rimum de ambobus cœnobii Clusensi videlicet & Brunteshusensi unum fieri regimen exoravit, ut unus amborum sit Prælatus & unus baculus, salvis tamen monasteriorum redditibus, qui illis manebunt. Confirmauit hanc illius petitionem Imperator invictissimus; confirmavit & Antistes Bernhardus.

*Libera est Abbatis electio.*

**D**Einde & liberam novi Abbatis fratribus ab Imperatore petivit electionem confirmari, ut nullius viventis respectu aut prohibitione liceat illis libere vel de suo, vel alio etiam monasterio sibi eligere Abbatem, dummodo ordinis fuerit divi Benedicti. Voti evasit compos, & tam Imperatoris quam Antistitis assensum nobis assignavit.

*De electi Abbatis confirmatione.*

**I**Id quoque obtinuit, quod electus cœnobii Abbas ab ecclesiæ Gandesianæ Abbatissa confirmetur, taliter videlicet: Electus præsentabitur ecclesiæ Gandershemensis, Abbatissæ scilicet & conventui; quæ cum viderint, electionem illius esse canonicam, ipsam approbent, atque de altari beatorum Ioannis Baptista, Anastasii & Innocentii virgam pastoralem accipere faciant, insignum commissionis pastoralis curæ; nisi, quod absit, canonica illum obiectione removere possint. Ab utroque & id confirmatum est.

*Exemptionis magnum indulatum.*

**C**onfirmatus ita (Antistes inquit Bernhardus) Abbatissæ adminiculo ad episcopum ducatur, Abbas consecrandus. At confirmationem adeptus (Lotharius inquit Imperator, & Præfus sequitur Bernhardus) utriusque ecclesiæ Clusensis videlicet & Brunteshusensis tam interiora, quam exteriora disponat, liber ab omni subiectionis alicujus exactione vel servitio.

*In quibus Abbas confirmatus ecclesiæ Gandesianæ & Abbatissæ  
debeat complacere.*

**L**iberam omnino Domini Abbatis confirmationem esse decreverunt, nihilque exigendum, illius ratione a confirmato; eo duntaxat excepto, quod accitus ab Abbatissa ad consilium negotiis impendentibus, non se difficilem præbeat, atque in festivitatibus præcipuis ad celebrandas missas & ad consolandas forores, mala preßas valetudine, invitatus (litteræ dicunt) occurrat.

*Bonorum in Ludolvensen & aliorum quorundam Imperialis  
atque Episcopalis confirmatio.*

**C**onfirmamus (Imperator ait Lotharius) & post eum Antistes Bernhardus ecclesiæ Clusensi tres mansos in villa, quæ Ludolvensen dicitur cum suis decimationibus ceterisque utilitatibus, in pratis, in silvis & in aquis, quos olim Bartæ bona devotionis Abbatissæ eidem ecclesiæ contulit. Nonnihil tamen Præfus prædictis addit, ita dicens: Cui ecclesiæ totius adjacentis villæ hospites, agros, agrorumque redditus & decimas cum silvis & aquis, molendinis & pascuis appertenentibus confirmamus. Hospites dicit eos, qui agros in Ludolvensen coluerunt, qui licet numero pauci fuissent, loco tamen villæ vulgare scilicet nomen adsciverunt. Et hos quoque in nostram possessionem contraditos habuimus, & cetera, quæ designantur.

*Illorum, quæ ante hanc confirmationem donata fuerant,  
ratificatio.*

**P**reterea, ne quid perinde ac inconfirmatum posteris scrupulo esset, quicquid ab Illustrissimis non solum Lutgarde, verum etiam ab antecessoribus illius Abbatissæ in hunc locum collaturi fuisse, etiam ab aliis Christi fidelibus, Imperiali auctoritate confirmatum est, & ab ipso Præfule ratificatum. Dignum notatu id præter silvam, cuius non habemus specialem confirmationem super donatione ab Atbellide facta, præter ratificationem Capituli, ut in litteris de fixa donatione liquet.

*De capellæ cuiusdam confirmatione.*

**C**apellæ in Oberhusen in suis litteris Præfus meminit: Capellam, ait, de Oberhusen cum dimidio sua dotis manso, & duobus itidem semisque manso, quam Rothardus Presbyter, astipulante prædicta pia devotionis Abbatissæ Lutgarde & confirmante, sanctæ Dei genetrici & beato

beato Georgio obtulit, confirmamus. Nos de illa Capella quid factum fit, vel qualiter ablata, offendimus omnino nihil. Acta sunt hæc 1134, non solum in plurimorum frequentia testium; sed etiam totius Gandeshemensis conventus ad donationem conniventis præsentia.

*WINNEMARVS Abbas.*

*HINRICVS Abbas, hujus nominis secundus.*

*LÄMPERTVS Abbas.*

*BARTHOLDVS Abbas, hujus nominis primus.*

*RICHARDVS Abbas.*

*CONRADVS Abbas, hujus nominis primus.*

*BARTHOLDVS Abbas, hujus nominis secundus.*

*Abbas CONRADVS secundus.*

*Abbas HINRICVS tertius.*

*Abbas LVTHOLPHVS.*

Idem multa fecit novalia ex silvulis, de dictis, quorum redditus fratribus five conventui assignavit, pro memoriis nonnullis perpetuo peragendis, assensu *Sophie Abbatissæ*, quæ & agrorum ipsorum videlicet novalium litteris nomina exprimit, qui, inquiens, agri vocantur *Bredela & Elypædere*. Hoc autem in nomine lingua scribentium erratum est: sed vero nomine vocantur *Eylpædere acker*. Ipsi qui *Bredela* vocantur, sunt illi, qui hac in parte *des Breden la* iacent, tenduntque versus *dat Borne la*, ubi amissō nomine vocantur *Eylpædere*, quamvis pene oblizioni datum sit nomen: posteritatis tamen gratia vim nominis his inferere libet. In fine five termino silvulae, dicta *dat Borne la*, aqua effluens in unum locum fœse recipit. Illò autem, rastis maxime tempore, sanguisuga congregantur, quas nos vulgariter *de lœn* appellamus: rusticani vero majore hiatu oris *de Elyen* dicunt: locum igitur, quo se recipiunt sanguisuga, *den Elyenpæl*. Ea propter, cum agri eo ferant, id nominis acceperunt, ut vocentur *de Eylpædere acker*, licet pene nullus post unum sit in *Dangleveffen*, qui eo nomine ad agros illos utatur, sed *Eylpæl* omnium adhuc in ore est. Anno Domini actum est 1329.

Idem Dominus & Abbas Lutholphus tredecim iugera agrorum, adiacentia silvæ, *dat la dicta, an an den Breden la*, vocantur, hæreditario censu locavit *Henningk Jordens*, sex videlicet lotonibus & dimidia lodich argenti, quotannis fratribus ab illorum possessoribus solvendis, salva decima agrorum, quæ etiam monasterio maneat: hac conditione adiecta, ut agri minime inter hæredes partiantur, sed semper simul manent. Insuper superiori hærede vita functio, qui hæreditario sequitur iure, ipsos agros medio fertone *Lodieb argenti* sibi comparet, gratia, ut dicunt, delectus *des Kores*. Hodie usque censum illorum agrorum ab hæredibus levamus, Actum 1326.

Habes hic, o lector! agrorum diversa nomina, hi vocantur *an den La* & sita sunt inter ligneta duo, Beati Ioannis videlicet ab uno latere, *dat Breda La* ab altera. Agri, qui *dat Breden la* vocitantur, adjacent ligneto ipsi ab hac nostra parte, quibus iunguntur *de Eylpæler acker*, attingentes *dat Borne la*, deindeque ad agros curiæ nostræ quondam in *Lutholvenßen*. Hæc notatu digna ob id, quod in donatione & confirmatione agrorum prima, in *Lutholvenßen* tantum trium mansorum introducatur numerus. At primariam illud donationem respicit; successu vero temporis novalibus preparatis, Abbatissarum consensu, agrorum accessit multitudo. In quo quidem labore hic pater Venerabilis non pigritari visus est, ut in superioribus deprehenditur. Eos autem agros, quos hæreditario censu locaverat superius dictis, licet tredecim iugera narrentur, sunt tamen ferme sedecim. At possessor illorum jure emptio, non plus, exactionem postulatus dat, quasi tredecim iugera haberentur: aratoribus autem pretium, quod sedecim iugeris arandis debetur, elargiri cogitur invitus. Agros dictos *dat Hollandes rodt* idem fecit.

*Abbas CONRADVS tertius.*

*BARTHOLDVS tertius huius nominis Abbas.*

*Abbas HINRICVS huius nominis quartus.*

*Abbas IOANNES primus, cognomine Schelbeer.*

*HINRICVS Abbas huius nominis quintus.*

*Abbas IOANNES secundus, cognomento Ribbrecht.*

*REIMBERVVS Abbas, Anno Domini 1421, patria Geismariensis.*

*Abbas DETHLETVS, malitiose electus.*

*HINRICVS Abbas, huius nominis sextus.*

Eia, pie lector, videre hic licet, quo rerum quove miseriarium hoc cœnobium pervernerit. Adeo certe profecit, ut a paupertate ad inopiam descenderit, a cœnobiali vita ad rationi etiam non solum adversam, sed etiam detestabilem morum conversationem. Et quidem non huic tanta cœnobio informitas, sed & omnibus pene in Saxoniam, in Thuringiam, in Franconiam, in Westphalia monasteriis, ut notiora tantum adduxerim, eadem principabatur. Omnes pene, nominis sui & rationis obliti, oculos suos ab alto propositi appeti deiecerunt, soloque defixerunt. Exosces plane & spiritu destituti avito, frustra terram habitabant desiderabilem, & quod eo peius, in terra sanctorum Patrum, prædecessorum vi-

delicet suorum, iniqua gesserunt. Quemadmodum proinde illorum patres ob fragrantissimam vitæ conversationem & Angelis & hominibus spectaculo fuerunt: ita isti omnibus ridiculi evaserunt; quippe qui semitis paternis abducti, carni morigerari non timuerunt, seculo fidem habentes & illius concupiscentiis ac vanitatibus immerfi. Et paucis ut plurima comprehendam, in magnam adeo malitiam omne genus cœnobitarum degeneravit, ut nulla superesset species, decor nullus derelictus, adeoque tenebrosis & caliginosis vallatum operumque detestandæ conversationis operibus, ut opus esset sapiente opifice, qui omnem istam informitatem discutere, & ornatum aliquem inducere posset. Recordatus tandem omnium moderator Deus miseræ filiorum *Benedicti*, & ingenita tactus dulcedine, spiritum mittere cogitavit, qui optimus artifex tantam informitatem depelleret, & immensam lucis pulcritudinem, tenebris istis palpabilibus fugatis, produceret, illustraretque omnia. Et nos ergo referamus pedem a gravationis istius tenebris. Nova enim lux eminus apparat, nova generatio è cœlo missa in ianuis est. Properat, qui filiorum pectora ad patrum docebit mores; qui *Ieppe*, quod spurius est, exhaereditabit, abiiciet, inque exilium trudet. Et quis ille est, inquis, hic talis, hic tantus?

*Abbas Ioannes Dederodt patria Mundensis, huius nominis tertius.*

**A** Blato per electionem novo Abbatem nondum trimestri, opus fuit fratribus alium per electionis actum sibi adsciscere Abbatem. Statuto ad hoc ipsum loco & tempore, in Patrem *Ioannem* patria Mundensem, cenobii Northemensis tunc conventualem, vota dirigentes, huic cœnobio postulaverunt fieri Abbatem anno Domini 1430, duodecimo Kalendas Augusti.

Hic est, cuius memoria peribit nunquam: hic est, de quo narraverunt patres nostri: hic, de quo generationes seculorum loquentur: hic, quem Deus misit auferre gentis impietatem, & sibi facere plebem perfectam. Hic licet fratribus in Northem, non minore quam Clusenses deformitate informibus, habitu & tonsura non absimilis fuisset, utpote ibidem professus: quiddam tamen divinum mente impostum gerebat, purioris utpote vita sitiens iocunditatem. Hinc cordium humanorum scrutator Deus e medio illic conversantium eripiendum duxit, & illius rectæ voluntati sua gratia ad stipulabatur. Adductus ergo in *Clusam*, Abbas constituitur, confirmatur, maiorum in sede locatur. Et mirum in modum vir licet doctus esset, & ante conversionem curia Romana non incognitus: humiliter tenuitati huius monasterii sese attemperavit, non quidem dignitate oblectatus maioritatis, sed in id mentem intentionemque serebat, quod ante longe meditatus secum fuerat, vita videlicet cœnobialis renovationem. Cum ergo iam loco confirmatus in Abbatem, subditorum voluntatem sibi dandam per manualem obedientiam expeteret, sex tantum cum eo senserunt, aliis etiam post præstitam obedientiam, ut de *Dethlevo* cognitum est, abeuntibus in viam suam. Primum igitur cœnobio extrusit meum & tuum, hoc est, possessionum proprietates & communiter vivere fratres fecit, sortitus ad ipsum perficiendum supremam dextram Dei dum & ductricem; sicque fratres non citra Dei gratiam, tanti capitanei ductu & auspiciis, pedentem maiora tentabant, quoad nativum colorem, quem perdidere, recuperarent. Cumque unus esset illis cibus, una domus: una quoque Deum laudabant, & Dei domum, quam longo tempore non nisi denarii accipendi intuitu coluerunt, iam die iam nocte frequentabant, hymnisque sanctificabant. Verum, quia ad rem prospere inceptam opus fuit exteriorum bonorum assistentia, pecunias mutuo acceptis census vendidit annuos, & pecunias eo locavit, ubi copiosior monasterio proventus cresceret, quibus sustentarentur fratres. In unum ergo plurimis e locis quadringentis aureis conflatis, decimam in *Dangleveffen* à Domino *Alberto de Steynbage* milite emit, iure illi admissa reemptionis 1435, ratificante emtionem *Abbatissa Agnete*, de hac autem decima in sequentibus dicetur. Item allodium unum in minori *Freden*, dictum de *Vnderhoff*, cum curiis ibidem 178. florenis anno Domini 1436. Alterum etiam totidem florenis ibidem. Hæc duo allodia vendiderunt de *van Freden* sub reemptione 1436, una cum aliis nonnullis bonis, (ut litteris commendatum est) nondum redemptis.

Cum autem omni sub patientia, & multis maioribus mentis divitiis quam corporis, vitam cum dierum numero ageret hoc in loco cum fratribus cœnobiale, & vela navis inopia ventus valide pulsaret; utpote omnibus ruinosis ædificiis una ex parte, & virtualium defectu ab alia; hinc autem & inde urgentibus creditoribus: animo valde quidem anxious, in domino autem viriliter stabilis, cœptis minime destitit. Ea propter divina bonitas, quæ nunquam beae merentibus & volentibus deest, altius decrevit virum illum, althletam fortissimum, promovendum: Unde factum est, ut tertio hujus cœnobii reformationis anno hic Vir, ubique iam famigeratissimus, à fratribus monasterii *Bursfeldensis* in Abbatem postularetur. Hoc ubi rescivit, rem secum bene meditatus, & profuturam ratus suo, quem in reformationem collapsorum monasteriorum gerebat, animo: postulationi assensit, & eo se transferens

ferens hic habebat Priorem. Sicque illinc, quia ibi piscium fuit copia, cœptæ plurimum subministravit vita cœnobiali. Sæpe cum illinc huc, ordinandæ cuiuspiam rei causa, venisset, & fratres sciret & videret vestitu egere, exutis suis vestibus eosdem vestivit, cooperiens se, quo modo poterat, necessario retentis. Hæc dum ageret, toto adiunctu in aliorum etiam monasteriorum reformationem illius animus ferebatur, cogitans præter cessationem, quoniam modo pene iam mortuos malæ consuetudinis fratres exciret sepulcris, ut in parentum gloriam pectoribus illorum affectis, longum vale dicere persuaderet tetris erroribus.

Tertium proinde, Deo fidens, aggreditur monasterium, Reynersbusen videlicet, & Dei; cui fidebat, bona manu sibi assistente, quod voluit, valuit, adque paternos limites illud reduxit.

Post cujus reformationem cum paucō tempore supervixisset, ad paratam sibi sedem, citra dubium in cœlo, à Domino omnium bonorum compensatore, vocatur. Cum igitur peste se attactum sensisset, gregem Domino omnium consignans, & fratres proposito permanere adhortans, diem expectavit, quo felix vocanti se Domino pareret. Quo præsente, Deo concessit & naturæ, finem laudabilem aseccutus. Obiit autem 1439. Dorotheæ.

Vide iam, pie lector, quæ iste pater & de aliis bene, & de se optime meritus sit. Tria ipse tantummodo in vita sua reformavit monasteria: at plurimorum causa est factus reformatorum. Proprio quidem in loco, quo ignis iacuit, non valuit: translatus in Clusam, flammam dedit; in Bursfeldiam portatus arsit. Hujus scintillæ unius vigor quantam rogo flammam dedit, & quam illa flamma multos tenebris ne exterioribus sed etiam interioribus evocavit. Non in *Saxonia* contineri potuit: per totam *Westphaliæ*, *Turingiam*, *Franconiam*, *Sueviam*, *Hassiam*, *Mysnam*, *Eritiam*, *Gebriam in Hollandiam*, *Brabantiam*, *Flandriam*, quin in *Daciam* usque, splendore suo transfuso, miro, & ultra quam mirari quis potest, modo, ad reformationem illic degentes fratres aspirare fecit, adeo, ut hodie sub unionis nostræ calculo \*\* sint cœnobia.

### *Abbas Hermannus, hujus nominis primus.*

**P**lio patre *Ioanne* in astra translato, in unum convenientes huius monasterii fratres, in sedem defuncti devotum congregationis fratrem suffecerunt, Patrem videlicet & Dominum *Hermannum Borneman*, patria Eymbeccensem 1439.

Congregationis autem Bursfeldensis fratres, oculos ad Deum dirigentes, suo monasterio dignum oraverunt dare moderatorem. Porro summa ipsa bonitas, bene, cœptis consulens, orantibus propitiatus pro Helia dedit Heliæum, Patrem videlicet *Iohannem Hagen*, quem non iniuria duplice spiritu donatum quis dixerit. Speciali enim hic gratia, prædictus, cœptum reformationis opus strenuè aggressus, ampliavit, dilatavit, non in *Saxonia* tantum, sed & cis Rhenum plurima cœnobia reformando. Hic in reformationis opere, constitutus imperegrè, civitatem Myndensem ingreditur, ubi febre correptus feliciter naturæ succubuit, Deoque spiritum commendavit anno Domini 1468. Augusti 3. Idus, ibidemque est sepultus.

Non prætereundum iudicaverim, quod divinam providentiam affuisse cœptis reformationis, nequaquam negare quis possit: id quod eo probatum.

Postea enim quam Venerabilis Pater Dominus *Ioannes Munden* pro virili sua monasteriorum incubuit reformationi, inenarrabilis divina providentia, non secus atque viri laboribus suppetias ferens, quinque illi viros, sua gratia attactos, destinare curavit; viros, inquam, & nomine & dignitate claros, artium magisterio promotos: quos, si tempora morosæ fratrum aspexeris, non nisi Dei gratia, & id etiam speciali, monachatum appetivisse videbis. Tempus erat perinde atque extremæ paupertatis; vita non satis professioni consona: & tamen illius, qui spirituales dat esse homines, gratiâ ab alto dignitatis ad extreum usque humilitatis descenderunt; adeoque brevissimo in tempore spirituali vitæ animum dererunt, ut summa veneratione digni, & cœnobialis conversationis magistri evaserint; quin & illis cœnobia ingredientibus ipse Deus pariter cum illis ingressus palam omnibus factum fit. Licet enim inopia monasteriis, ob fratrum incuriam, & verius, ut loquar, Dei, ut pote illorum vitam aversantis, propter ordinationem, inesset, & validissime illa premeret: brevi tamen, Dei providentia, rerum profligata inopia, habundare cœperunt, adeo, ut mensis fratrum, quicquid ad bene religioseque prandendum vel cœnandum accommodum foret, omnino videretur deesse nihil. Cuius contemplatu dicti iam viri, dum inter prandendum secum meditarentur rem, ut in oculis erat, compuncti corde lacrimas fuderunt. Quod uti is, qui viris in directorem datus fuerat, rescivit, sciscitabatur, quamnam ob causam prandii horâ ingemuissent atque illacrimasset. Nos, dixerunt, chare pater ad penitentiam venimus agendam; nos eos, quos aliquando habuimus ministros, abieciimus, veniamusque Christi Domini nostri exemplo non ministrari sed ministrare. Rem nobis, ut videmus, in contrarium Deus vertit. Ad opulentas residemus mensas: præternostram curam cibi mensis inferuntur; & super hæc & nobis multo meliores sese humiliantes serviunt; ut videamur atque simus etiam claris dominis securiores, ne dixerimus, opulentiores. Etne longiore

longiore ambage te suspendam, illos optimæ vitæ agendæ factos magistros aliis cœnobiis di-  
vina elec̄tio in rectores & Abbates promoveri fecit. Ex quibus Venerabilis Pater & Do-  
minus *Johannes Hagen* Bursfeldense, quod ingressus fuit, ut diximus, rexit, & tandem in  
*Myndensi* mortem obivit; post quam undecim annos terræ infossus, integrum illius cadaver,  
five etiam corpus repertum fuit. Venerabilis item Pater *Hinricus Eylke* monasterio sancti Mi-  
chaelis in Hildenesheim præficitur, ibidemque laudatissimam vitam instituit, ampliavit &  
consummavit. Ita & de aliis factum est.

Ceterum post pii Patris *Ioannis de Hagen* excessum, religiosi fratres Bursfeldenses virum  
totius religiositatis, discretionis & integritatis, patrem dico *Theodericum* ex monasterio Am-  
mesleveni, diœcesis Magdeburgensis sibi asciverunt rectorem, postulaveruntque Abbatem.  
Hic quoque reformationi incubuit, ac factam manutenuit ab anno 1468 usque in annum  
1487.

Hic quantæ fuerit in Deum devotionis, quantæque diligentia in cœnobiticam vitam  
tuendo, liber ille de triplici religione claustralium & exercitium eidem amexum satis superque etiam  
curioso perscrutatori demonstrant. Hujus enim ipse inventor est, & miro ingenio editum Patri  
*Ioanni Trithemio* tradidit, ut is in suum verteret loquendi modum; & id ipsum humilitatis in  
eo indicium. Sed orbitam, ut video, scribendorum prætergressus sum quamvis non præter  
utilitatem. Modo ad nos & ad nostros redeundum est.

*Abbas GOTFRIDVS 1446.*

*Abbas WEDEGO.*

### *De divi patris Lulli Antifititis capite.*

**H**oc quoque minime prætereundum censuerim, sed ratione summa posteritati præsentis  
bus notificandum, quod isdem Venerabilis Pater (*Abbas Wedego*) multis precibus, licet  
sæpe repulsam passus, a Domina Abbatissa e Capitulo Gandesianæ ecclesiæ, matris nostræ, di-  
vi patris *Lulli*, *Mogontine quondam ecclesiæ Archiepiscopi*, venerandum caput obtinuit. Est au-  
tem superior pars capitinis tota, frontem habens & occipitum: descendit vero ad nasum us-  
que & ad aures, ita ut orbes oculorum pateant ex parte.

Quod ubi acceptum lætanter ad hoc cœnobium portasset, quia tardo gradus repedavit,  
mensa sua imposuit, sicque reliquit. Verum cum iam quieti membra dedisset, & somno  
indulgeret, strepitus quispiam gravis somno eum excitavit. At sono cessante, iterum so-  
pore se dedit. Quo sic omnino dormiente, maior graviorque priore strepitus dormientem  
à somno avocavit. Expergefactus, quid nam rei esset cogitavit: at cum vir esset nullis terri-  
culis cedens unquam, iterum somno indulxit. Quo iam tertio plene dormiente, tertio et-  
iam strepitus iam gravissimus insonuit, qui non solum virum expurgiscebat, verum multo  
etiam timore perculsit. Qui in mentem revocans, qualiter ob seram diei horam mensa im-  
positum venerandum caput reliquisset, mox surrexit, candelamque accendit, & cum rever-  
entia pariter & timore caput sanctum accedens, ipsum istud levavit, atque in ecclesiam de-  
latum altari sacro imposuit; sicque cum quietis locum repetivisset, amplius aliquid strepitus  
audivit minime. Eo tempore integrum Divi Patris Antifititis *Lulli* corpus (dico autem os-  
sium illius omnia) in ecclesia Gandesiana erat, ab aliisque separatum sanctorum reliquiis. Illius  
pollicem postea dextrum puto Dominus *Hermannus Wreden* Abbatissæ scriptor obtinuit. Hic  
beatissimus Præful monasterium (\*) Hirfeldense ædificavit, ubi & sepulchrum illius est, pulchrum  
valde; & non nisi molestissime ferunt fratres, si quis dicat, illis patronum tantum subla-  
tum. At velint nolint, surrexit, non est ibi. Hoc in eodem monasterio Dominus Pater *Go-  
debardus* Abbas fuit, postea Hildesianorum Episcopus.

### *Conradi hujus nominis Quinti electi Abbatis confirmatio differtur.*

**P**osteritatis respectu & id mandare litteris non piguit, quod hoc venerabili Patri elec-  
to confirmationis beneficium Capitulum Gandesianum impendere distulit, non quia vel  
contra electum quid possent vel contra electores. Verum id tum propter vacantiam sedis  
factum fuit, vel propter insolentiam personarum Capitulum repræsentantium. Vacabat nam-  
que sedes Abbatissæ, duabus super Abbatissatum litigantibus, quarum neutra adhuc con-  
firmationem obtainuerat; & ea, quæ Decanatu gaudebat, quia factiosa fuit, rem differebat.  
Horum gratia præsentibus adnotandum duxi.

### *Vacante sede Abbatissæ ecclesiæ Gandesiana.*

**Q**uod si tempore electionis hujus loci sedes quoque Gandesianæ ecclesiæ vacet, recurren-  
tum est pro electi confirmatione ad Capitulum Gandesianum. Nam institutio & con-  
firmatio devolvitur ad Capitulum, ut in cap. Cum olim, & in cap. i. de Institut.

*Quid*

(\*) Hersfeldense.

*Quid si distulerint confirmare.*

**Q**uod si confirmationem rogati distulerint, non quod electionem invalidare perinde atque non canonice factam, possint, sed ut fieri solet, mentis quapiam pravitate vel machinatione; vel, quod absit, aperta malitia, noluerint vel dissimulaverint, vel Abbatis vel capitulum: recurrendum est fratribus ad ordinis & ad *unionis Bursfeldensis* privilegia, quorum unum ita dicit: Lodvici videlicet tituli sanctæ Ceciliæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyteri Cardinalis, à sancta synodo generali Basiliensi ad Germaniæ partes legatus deputatus. Aliquo monasteriorum, sub observantia dicta unitorum & uniendorum, vacante seu vacaturo, si electus ad illud ab ordinario suo huiusmodi electionis confirmationem absque decretorum violatione, instantia & sollicitudine debitibus super hoc penes dictum suum ordinarium primitus adhibitis, per malitiosam aut dolosam denegationem obtainere non posset: ad Abbatem pro tempore Bursfeldensem tanquam praefidentem deputatum, pro huiusmodi confirmatione obtainenda recurrere valeat. Et ipse, advocatis & assumptis uno vel duobus in praefentia praetexta sibi adiunctis seu adiungendis patribus, cum illis seu altero eorundem, per viam inquisitionis cognitis tam forma electionis quam meritis electi, aliquis circumstantiis debite examinatis & discussis, iuxta decretorum formam, electionem ipsam confirmare vel infirmare, ac munus benedictionis impendere vel impendi facere valeret. Datum anno 1446. Francofordiæ.

Et hoc quidem in privilegio ipsius Cardinalis, ab universalis Concilio Basiliensi reformationi monasteriorum intendere iussi, quod *Capitulo dedit annali Bursfeldensis unionis, Moguntina autem provincia, cui monasterium hoc Clusinum fuit subiectum ante annum Domini 1330*, ut in Dethlevi Abbatis liquet depositione. Alterum idem legatus privilegium dedit, ad capitulum provinciale celebrandum, ita dicens: Si illi, ad quos confirmatio spectat de iure, tertio solenniter coram notario & testibus requisiti, cessante causa rationabili, noluerint, malitiose recusaverint, seu neglexerint electionem eandem gratis, iuxta Synodi Basiliensis decreta, confirmare; ex tunc unus praefidentium capitulorum, forma juris & debitibus solennitatibus servatis, beneplacito concilii sive Synodi durante, hoc est, non revocato, ipsam electionem confirmare; deinde idem privilegium, sub eodem tenore, & Abbates electos, quin etiam Abbatissas atque moniales, consecrare & benedicere indulget. Quid amplius requirimus? ablata est malevolis ansa intentandi mala.

His nos freti, dum viderentur dissimulare, quod petebantur, eam, quæ Decanatum gerebat, accedentes: ecce, diximus, Domina generosa, sepe petivimus electo nostro Abbatii dignaremini munus confirmationis impetrare, & frustrati sumus petitione. Admonitam hinc necesse est vos habeamus, quod modo, cum annale capitulum Patrum unionis nostræ præ foribus sit, & illud adire oporteat nostrum eleætum: confirmationis sibi denegatæ, ut ita dixerimus, causam necessariò patribus habebit innotescere. Non enim, nisi confirmatus, ad patrum eorundem colligetur cœtum. Cuius rei gratia, quia vos huc usque petivimus confirmationem, operæ pretium est eadem de cetero accitis notario & testibus, ut debitam, postulemus. Quod si supersederitis tunc quoque electo nostro impetrare, habebunt eam patres capituli annalis sacræ synodi Basiliensis auctoritate nobis administrare. Quod ubi rescivit illa, (ach, ait) deceptoriam rem. Non, diximus, deceptoria, sed auctoritate plenissima. Altera proinde die capitulum convocat, & rem ad se delatam aperit. In concione proinde diem statuunt & decernunt horam, quibus electus presentetur ad confirmationis beneficium accipiendum. Ita & alio tempore faciendum ratio persuadet, & si duraverint in malitioso proposito, notarius cum testibus advocetur, postuleretur confirmatione solenniter primo, secundo & tertio; non, quod in dies proteletur & postuletur, sed eadem hora, eodemque actu, iterum & iterum ac tertio, antequam pene loco digrediatur, quod queritur, postuletur.

*Carmen elegiacum, quo infelicissima defletur fortuna, quæ Clusinum  
hoc cœnobium sub Principum ac Hildesianorum Episcopis  
dissensione corripuit.*

Sævæ, discrucior, Bellonæ quando flagella

In mentem veniunt, o ego, sanguinea,

Antehac de Gallis, Mars letifer (ut solet) ad nos

Vsque: horrenda nimis, arma legenda dedit.

Rupes Euboias modo fert nos fama volucris

Ulra: fortunæ est hic modus instabilis.

Horrendum atrocis semper solet esse gradivi

Triste opus auditu: quid fera bella pati?

Y y

Quid

Quid fera bella pati nuper paupercula scisti  
 Clusa; ubi flamma vorax cuncta sub hoste tulit.  
 Quid fera bella pati, docuit te bellicus horror,  
 Limitibus prædam ut diripuere tuis.  
 Quid fera bella pati, modo scis, spoliata sub hora  
 Clusa brevi: at longo tempore damna vigent.  
 Damna vigent & rura iacent inculta, recessit  
 Villicus: at terræ sola tributa manent.  
 Quid fera bella pati, gravis & te debitor orat  
 Nosse, tibi: solyat, suppetit unde nihil.  
 Quid fera bella pati, deinde experieris in annos,  
 Prima loco pellunt ultima sæpe suo.  
 Quid fera bella pati, poteris cognoscere lector  
 Candide: si nostra tu monumenta legas.

Reconciliationis humani generis anno supra millesimum quingentesimum decimo nono, cum magnanimorum Principum ac Ducum Brunsvicensium ex una, nec non Luneborigenium atque Ioannis Hildesianorum Antistitis, Duci Saxonie, ex altera parte, infesta nimis contentio Martem ciceret, pietatisque nomine & prætextu, commoda patriæ defensare & his & illis ferrum persuaderet, gravissima & eo usque temporis minime aliquot experta seculis turbatio; imo vero magis exturbatio insperata terras corripuit. Verum non propositi est arma virumque canere: quæ enim de foris sunt nihil ad me; sed ea tantummodo, quæ Clusinum hoc cœnobium pertulit, depingere, sententiæ quidem est, dicente Poeta: Tunc tua res agitur, pries cum proximus ardet. Cum igitur Hildesianorum Antistes & Dux Luneborigenis, aliquot iam oppidis vago igne pessumdati, in obsidione castris Calenbergi laborarent, & illustres nostri Principes Henricus Brunsvicensis ac Ericus Gottingenarum Dominus & Brunsvicensium Dux, in cuius ditione castrum ipsum Calenbergense hæreditario iure fuit, suas videbilec expeditiones in diocesim moverent, contra adversariorum exercitum præmissis aliquot equitibus, & oppidanis Gandesianis, videlicet qui multitudini victualia suppeditarent; in pagos sive villas, ut dicimus, iusterunt, ut irruerent. Qui iussa capeſſentes primum nos docuerunt, quid passurum exinde effet hoc cœnobium.

Oldenrode & Eversbusen exusio prima.

**I**ntratribus illis diœcesim Oldenrode & Eversbusen, obviam sibi factis hostiles manus injec-  
 trunt; & primum illarum spoliis, dico autem pecoribus & quicquid obviam fuerat, abla-  
 tis, deinde casulis habitantium igni admoto, solo eas adæquaverunt. Et nostris minime  
 illuc parcitum fuit allodiis, sed vago igni omnia absūmebant.

In Principis nostri expeditionem currum  
dare compellimur.

**C**VM autem in diœcesim copiis suis aliquantis per debacchati fuissent, in terram Lunebur-  
 gensim arma statuerunt movere & castra. Tunc nos in Principis nostri expeditionem,  
 præter privilegiorum nostrorum respectum, currum cum quatuor equis duobusque servis  
 mittere coacti fuimus & graviter compulsi.

De cœde Principum.

**C**ETERUM prospere quidem rebus aliquantis per Principibus arridentibus, graviter Lune-  
 bergenium terram afflxere: nescio vero, quo deinde fidere, scio autem non prospero  
 acti, iam periculorum incauti & non prospicientes insidiarum, in manus Ioannis Hildesiano-  
 rum Antistitis & Duci terra eiusdem, adventum illorum opperientium, cecidere, prædaque pa-  
 tuere. Illic in gravi nimis multorum strage, unus servorum nostrorum occubuit ferro; al-  
 ter pene nudus ad nos revertens, tristem cœptorum exitum denuntiavit. Eo loci currus  
 noster & equi in hostium, vietria signa levantium, sortem cesserunt; Et quid dico for-  
 tem? Et illi: æque ac nobis infelicissimam illam sortem, qui dixerit, non mentietur. Ex  
 ea namque malorum omnium iam depingendorum cumulus excrevit, cum illos victoria,  
 suapte natura insolens, audaciores redderet: hos vero præsumta perditorum recuperatio,  
 plurimis opem auxiliumque rebus spondentibus, faceret ardentes. Magna enim &  
 magna nimis & honinum strages, & perditorum æneorum tormentorum videlicet, & aliorum  
 ad opus bellicum spectantium multitudo & æstimatio fuit. Omnia enim, quæ terræ in-  
 vererant incliti Principes, cesserunt in prædam hostium; currus, bombardæ, equi; quin  
 Principum thesauri, quem in argento, quem in auro, quem in cyphis circumferebant. Taceo,  
 quod

quod vix Princeps noster Hinricus fuga hostium manibus elapsus fuit, Erico & Wilhelmo Principibus captis, cum magna nobilium & equitum multitudine.

*Exercitus conductitii vocantur.*

**H**is sic se habentibus, Principes nostri sese vindicaturos spondent: illi autem, non secessuros. Hinc factum est, ut gente aliena terras opparent. Dum namque copias, quique suas, fortiores reddere admiserentur, conductitios sibi asciverunt exercitus, tam propriis quam alienis terris toleratu gravissimos. Venit itaque gens pacis impatiens, gens nefcio, an humano nomine digna, ut, cui plus vel ipsis lupis inest feritatis; gens sine lege, solis viribus ponens æquum; apud quam id solum datur peccato, si sine rapto vivere contingat. Quam ob rem, ne peccato fiat obnoxia, pecuniam pluris facit quam fidem. Erat ex tunc non solum videre, sed etiam experiri deflereque miseriam, & irruente una, mox alteram extimescere tribulationem. Isti siquidem pacis detimento gaudentes, devestationi depopulationique terrarum vacantes mirum in modum; populo miseriis, Dei (ut timetur) iudicio, addicto facti sunt in malum (ut dicimus) Sathan; fudores illorum rapiendo, bona deprædando; & quod miseria haud parum adjicit, illos ipsis spoliatos, deprædatos, vinculis astrictos & compedibus, ad carceres ducendo, ut siquid vel modicum supersuisset, id sua caperent marsupia. Eiusmodi quotidie offerebantur oculis nostris mala, rem tam infaustam dolentibus. Aut enim ex adversa nobis diœcesi terris nostris se infundentes, prædam diripiure latrunculi, aut ex nostris, diœcesanos devastantes, itidem peregere: sique mutua, malorum retaliatione in immensum succrevere turbationum miseriarum; atque suam quibusque injuriam (ut arbitrabantur) ulcisci pergentibus, pacem, (qua nihil mortalibus dulcibus esse potest) longe longiusque finibus pepulere nostris; quam comites, iustitia, veritas & misericordia fecutæ, eadem unâque sententiâ omnium exulare iussæ sunt: & earum loco rapina, falsitas, dolositas, impietas, inhumanitas, cum suis introducere complicibus, regnavere, & quidem tyranide multa nimis. Illis fortunæ amfractibus quanta Clusinum hoc cœnobium, bonis quidem exiguis dotatum, damna pertulerit, enarratu quamvis difficile norim: paucula tamen perlatorum monumenta, posteritatis gratia, mandare litteris neutiquam gravabor. Et quidem, ut probe ordiar, serviisti, quos stipendiarios dicimus, Clusulanum haud secus atque stipendiariam habuere, cibum potumque non tam petentes, quam, (ut putabatur) debitum sibi extorquentes. Unde contigit, diem dedicationis ecclesiarum apud nos non cum gaudio sed in luctu celebrari, nullis, ut fieri solet, lætitiarum signis; aut etiam festivis ornamenti palam productis, notum facere diem. Campanas mutescere oportuit, dolentibus ecclesiæ filiis & odiosos expavescientibus hospites adventare. Pridie namque diei illius, ascensis portæ monasterii extremæ foribus, vi tumultuque magno curiam intraverunt plurimi ex illis, & stubas, sive loca, ut dicimus, aestuaria disquirentes, eadem sibi propalari clamabant; mensas insuper cibis potibusque refertas exhiberi: quos, quia tetræ noctis horror incumbebat, non alias quam optatis quietare oportunum fuit. Verum his, mane mortalibus luce redita, ex euntibus, alii & item alii intraverunt ad meridiem usque diei sanctæ. Ita egredientes & ingredientes, panem, carnem, famis pellendæ gratia sibi extorserunt impartiri ab invitatis; ita, ut nisi abditis in cœnobii locis fratrum refectioni parari possent edulia. Itaque non ab hoste solum sed ab amico etiam damna pati, tribulatione affici, cœptum fuit. Cæterum prædis terrarum exhaustis, sola adhuc fumida pauperum tecta supererant, habitatore vacua. Ea iam exturbare carbonibus vere desolatoriis, soloque adæquare tentatum fuit. Quibus exfundis dum vicissim animorum experientiarum vesaniam videlicet, & Vulcano dies darent & obsequia, modo in diœcesi, modo in ducatu invisus ignis straminibus, antiqua pariter & nova culmina præter differentiam absumpfit.

*Monasterii deprædatio.*

**M**ultorum eosque deprædationes dolimus, vini illius & quidem amarissimi calicem, minime habentes suspectum. At illum exinde nobis datum fuit experiri. Nocte omnium sanctorum diem sequente; nocte, inquam, sceleris conscia malum suadente, & male agentibus semper amica, rerum omnium profligatores, servi diaboli, diœcesanorum videlicet stipendiarii, muris Clusiniis irruentes, sacrarum rerum sese fecerunt deprædatores. Et quidem curiam primum expoliantes, obviis setigerum gregem abduxerunt, itemque soni pedes equos numero novem. Porro boves, lanigerosque greges penes nos non habuimus, aliorum dannis cautiore facti.

*Adventus hostium clara nobis signo præsignatur.*

**F**aciam necesse est dicendorum aliquam digressionem. Antequam hostis irrueret muris, signum illorum adventus accepimus. Ante enim ferè duas horas quam appareret inimicus horrisono strepitu in ecclesia facto, more suo vigiliis instantes fratres, solicitos proximi,

mē & iam iamque instantis perturbationis nescio quis vel quid reddidit, adeoque horrende perstrepitavit, ut iam in ecclesiam, altunde, quam putaverunt, irruissent hostes. Prope raverunt ergo descendere turribus fratres: at comparuit omnino nihil. Cum autem locum suum repetivissent, & vigiliis defatigati dormiscerent, hostis insperato muris irruit, monasterium deprædaturus, & curiam ingressus, ut iam diximus, spoliavit. Deinde vero quantis clamoribus strepitibusque, solo etiam auditu pertimescendis, claustra cōperint exturbare, monasterii, spiritu maligno auxilium suppeditante in eiusmodi negotio, quin etiam coope rante, dicere poterit nemo. Revera enim, ut in Troianorum descriptum est expugnatione, limina perrumpunt, postesque à cardine vellunt. Hæserunt parietibus schalæ, & quia vim pro virtute bellicus horror habet, effractis infractis annullatisque cunctis, quæ illos introitu prohibebant, latrunculi illi monasterium intravere. Cumque aliquantis per disqurendo monachos inclamassent, atque vociferantes: ubinam loci, male exemplo perituri, latitant monachi, pene ter millies repetivissent; ad oratorium furore ipso duce pervenerunt. In cuius choro, cum nos adunatos reperissent, multo quam ante horribiliore tumultu, voceque insolentiore suis acclamat: huc, huc (dicentes) accedite; cappatos invenimus. Facto dein denso in nos agmine irruerunt, ceu in oves mansuetas lupi rapaces; faculas sinistris, strictos vero gladios dextris ferentes. Illico cupidemarii isti, modo illum modo istum, strictis pul santes mucronibus: pandite, dixerunt, pecunias monachi. Verum ut plurima paucis absolvam, nullus illis Dei domus respectus; Dei omnia desuper spectantis timor nullus. Unde & ipsam Dei aulam haud sècūs atq; latronum habuere speluncam. Vnum siquidem, quem de nostris familiaribus invenerunt in domo Dei, funibus vinxerunt, vinclum abduxerunt, nihil def rentes loco vel reverentia vel timoris. Vox hominum (si tamen hominum) vox fera, trux vul tus, nulla illis resēcta barba, verissima mortis imago. Nonnulli etiam illorum, quam de derat nativitas, linguam celavere, & ne loquela fortassis manifestarentur, Getice, Sarmaticęque loqui gestiere. Porro autem cum spe, quam in pecuniarum discussione habebant, se falsos intelligerent, in omne loci genus sese diffuderunt. Vidiſſes tunc indomitum Martem: quicquid clausum fuerat vi aperuerunt, securi & ascia effractis seris: Interiora scrutabantur, labori, quamvis ſæpe caſſo, non parcentes. Omnibus in locis clamor, infringendum strepitus ubique horrisonus: nullus tam bene occlusus, tam bene munitus fuerat locus, qui non, licet male, factus illis pervius videretur. Densissimas noctis tenebras facularum luce pepulerunt. Ille ignem, ite ardentem portavit faculam, aliis stramina intulit, sicque totum cœnobium defēdaverunt. Et quamvis non tot nonque tanta, ut speraverunt, omnibus scrutatis invenissent, (sola namque necessaria domi habuimus) quicquid tamen se oculis eorum obtulit, ſuum prorsus dedicantes abstulerunt. Fecissent multo maiora, (muris namque infringendis apta habebant instrumenta,) niſi terrore quopiam perculsi fuissent, quō & festinato abſcedere laborabant. Id autem eo contigit. Cum muris cœnobii exterioribus irruif ent, ex nobis nonnulli ad exterrendos invasores, campanarum exquirebant ſubſidia: ad quarum strepitum exasperati nimis hostes, pessima quæque fulminabant, oblivioni habentes, eiusmodi pulsum talibus pœnatis fieri ſolitum. Sic, ſic furibundi cum portam mo naſterii exteriorem intraffent, ſummopere valvas aperire necessarium ſibi ducentes, ad mu lierem portariam importunus loquendo dixerunt: Quid ſibi campanarum pulſibus monachi prætendunt? Ad quos illa, confiliū celeris fœmina: non ſuo Domini nostri pulsant con filio, ſed Gandelianorum præcepto, qui aliquot heſterno vespere obtentis equitibus, vestrū ſibi campanarum pulſu mandarunt designari adventum. Illo mulieris responſo perculsi, timidiuſ egere omnia. Unde & cum priuū nos reperiffent, pulſu campanarum nos abſtine re iuferunt furiosiſime, dicentes: ſi non vos, tunc nos ipſi & exemplo quidem illos cef fare faciemus, & campanas deſtruendo & pulsantes ē turribus dando præcipites. Quod libuerit eligite, alterum fiet. Sciscitabantur etiam, ſi aliquorum operiremū auxilium, aut ſuppetias ſi ſperaremus, oculis minacißimis in nos, dentibus ſtridentes. Verum cum Dei ſoliuſ nos fidere diceremus adiutorio, ad animi lenitatem rediere: haud tamen pleniorē nostris responsis fidem habentes, concepto in timore laboraverunt; factumque est, ut tres fere horas in monasterio compleſſent, dum diſcederent.

### De campanarum pulſu fortunato plus quam conſulto.

**I**nde oblitteratum eſſe nolui, quod non tam conſulto quam fortunato aliquando campa na pulſantur, ubi hostis vel apparuerit vel invaserit. Moliebantur namque plurima contra nos mala, eo quod ne nos quidem iuxta ſuā voluntatis scopum, ſed nec etiam monasterium Brunneſhusense ſpoliare potuiffent meticuloſi. Hinc in nos frendentes animi exasperati malitia, perciti, parabant reverti multiplicatis crudelitatis complicibus, ſequi ultione graviflma nos punituros in faciem ſpondentes, & non niſi in monasterio cuiuspiam pacti aliquid nobis cum inituros. Eo, dixerunt, aut vos irritatae noſtre voluntati pœnas dabitis, aut placabitis, quem concitafis multorum inexorabilem furem. At omnium moderator Deus, bene diſponens omnia, ſecundiorem dedit auram; alio enim transmissi fuere. Sic, ſic for tunato pulſatum fuit, quamvis videretur inconsueto tentatum.

Igni

*Igni devastatur de Heverbörde.*

**H**eu, heu, requies afflictis negatur, mœstitia pressis. Maioris succrevit mœstitez causa. Tertia ecce die, posteaquam monasterii passi fueramus deprædationem: Hildesiani in terram nostram motis copis, fumigero igni dulcem patriam nostram devasterunt; qua sorte & quidem flebili admodum, prædiola nostra in Oldengandersem & in Gremmeldeffen Vulcano dedicata fuerunt. Horrea prædiorum in Oldengandersem ignis absumpsit: domus autem sive habitationes, ex igni per mulieres extincto, erutæ, &c, si non illesæ, tamen permanerunt. In Gremmeldeffen nec habitationum nec horreorum aliquid, præter loca ipsorum & vestigia exusta, supermansit. Helmeskerode Domini hæreditarii incensioni subtraxerunt, datis ipsis incendiariis muneribus, nec eousque validus Hildesianorum exercitus pervenit. Dangleveffen etiam dentibus crudelissimi Vulcani præceptum fuit, agentibus pro nobis non nullis rem dirigenibus: quos pari aliquando Deus gratia accumulet, tempore quo magis illis fuerit necessaria. Omnia hæc 1719 ante diem divi Martini Episcopi.

*Instauratio combustorum, licet infausta 1520.*

**H**is ita infauftissimè peractis, inducæ per civitatum rectores inter partes disfidentes conceptæ fuerunt, pacificandi gratia: moxque videbantur redire Saturnia regna, ad nostrorum lenitatem indignabundis descendantibus. A marte itaque Principibus cestantibus, Martis quoque satellites procul fieri iussi sunt, & ad alias pacis impatientes transmisfi. Onus grave primum terris ablatum est. Valeant, valeant inquam, malis avibus.

Interea temporis in annum Domini 1520 perventum est, qui pacis futuræ, (ut nostra, spondebat opinio, specimen præferebat. Fortissime profecto pro pacis commodo terris revocando insudarunt, patriæ populi exiis timentes. Præsumta igitur pace, ad agros rediere coloni, & in pagis nidulari cœperunt. Exosum enim habuere, alienis in domibus moram trahere longiore. Eam ob rem & nostris, opus fuit, consuleremus dannis, & melioris intuitu fortunæ instaurare combusta, maxime cum villici abscedere pararent; ubi disfumulavimus illorum audire voluntatem.

*In Oldengandersem.*

**P**rimum Oldengandersem sese nobis obtulit, ubi duo ædificavimus horrea villicis nostris. In Gremmeldeffen tam domum quam horreum villico ædificavimus: in Oldenrode novum extruximus horreum villico unum, & alterum ad decimam & partem nostram, ex allodii frumentis debitam nobis, in eo conservandam. In Eygershusen horreum unum villico, alterum nostris tam parti à villico danda, quam decimæ condenda. Domum villici dentibus ignis aliqua ex parte laniatam, refecimus. Omnia hæc monasterii expensis instaurata sunt 1520.

*Imperiali judicio sibi jubentur disfidentes.*

**H**is itaque nubilo sub tempore, dubiæ videlicet pacis exstructis, cum intentam haud possent civitatum moderatores inter Principes componere pacem, ad imperiale judicium citantur disfidentes. Vbi cum longiusculè (ut res ipsa postularat) gestorum fieret discussio, & actorum gravis ventilatio, ad annum venimus 1521. Anno isto cum diœcesani imperiali sententiæ refragarentur, iustitiæ (ut prætexebant) fidentes, in suum ipsorum, totiusque diœcesis usque exitium refragarii perduraverunt. Vnde prioribus peiora succreverunt: gens abieta revocatur, confunditur fasque nefasque. At quis contra Deos arma impune sumet. Inobedientiam, contumaciam Maiestas Imperialis execrata, conventos septiculæ super lata sententia, cum nollent monentibus aures accommodare, totam proscriptioni maledictionique, diœcesim insulminavit, & ne quis rebus illorum auderet opem ferre, sub sua totiusque imperii gratiæ interminatione, statuit edicto. Hinc actum est, ut si quid iam locustæ terras depascenti haëtenus superfuit, id totum brucus posthac avidissime absumere festinaret. Et quia nostra tantummodo ad calculum citare intentionis meæ est, omnia, quæ sub anno isto, Principibus nostris destitutam omnibus & relictam diœcesim expugnantibus, contingere, volens prætero, Omnia prorsus quæ superioribus descripta sunt, redire, & certe maioribus malis comitata. Quotidie hostium incursus, pauperum deprædatio, vinctorum abductio, & id genus similia, vel auditu solo horrenda mala, audivimus, vidimus. Itaque circumsonis ubique præliorum tubis terra iacuit nostra, & nunc hic nunc illuc hostium castra terroris fuere. Opus fuit & inter nos noctium vigilias partiri, & procubitorum obire officia, ne insperato hostis superveniens, muris iterum irrueret. Sæpe enim id nonnulli tentavere hostium: at vigilantibus nobis exterriti desistebant, plurimos nobiscum esse arbitrantes ob audiā nostram.

*Secundo patria nostra devastatur igni 1521.*

**A**nno eodem, cum iam pene ad supremum malorum nos pervenisse putaremus, maximis, ut ita dixerim, maiora excipere cogebamur. Iterum namque Hildefiana gens, gens vere Martia, in terras nostras ac circumpositas exercitus suos dirigentes, die sancto divi Thomae Apostoli, maiore multo quam antea furore omnia devastabant, rapiebant omnia, exurebant omnia. Unde factum est, ut ea, quæ in Oldengandersem, in Gremmeldeßen paulo ante, malo ut patuit auspicio, ædificia extruximus, igni subiecto in sublime, altivaga tollerentur flamma.

*Helmeskerode igni periit.*

**E**odem die Helmeskerode, cui ante percitum fuit, quod primum non dedit, modo reddidit duplicatum. Totaliter enim solo adæquatur. Illic de tribus nostris prædijs remansit, omnino nihil, præter exustorum vestigia.

*Dangleveffen.*

**Q**uodque gravissimum fuit, Dangleveffen die eodem infeli nimis, terra adæquata, igni fomento cessit, ubi sex allodia nostra eandem dederunt pœnam. Ecclesia sola relinquebatur ab hostibus quidem intacta: verum ignis vagus & obvia cuncta vorans, mœnia, ipsius & tectum corroxit. Absumpsisset autem, nisi hostium post discessum, quorundam labore fuisset extinctus.

*Oldenrode secundo comburitur.*

**V**erum enim vero per vices agunt hostes. Ubi Hildefiani nostros visitassent, illico nostri diœcesanos revisere parabant. Pridie igitur natalis Dominicæ Princeps Hinricus suis stipatus, eos, qui cohabitant castrum Winzeborgense, de Ghelenbærde videlicet, vastavit, & quotquot obvias villas habuit, exussit. Deinde in diebus natalitio Christi proximis, nonnulli ex Gandesianis Oldenrode, Egyersbusen, Wetteborn devstantes, omnia illic ædificia sibi obvia, secundo dedicaverunt Vulcano; sicque nostræ, tam in allodiis quam in curiis structuræ, in cinerem redactæ, perierunt. Si quid autem horum vel manus fugit, vel per mulieres ustioni erectum fuit, id omne per quosdam ex Grenensi territorio, se ulcisci percupientes, nocte, quæ Epiphaniam Domini sequebatur, igni datum disperit.

*De minori Freden.*

**V**ltra nostris tendentibus, patuit Freden cursantibus, quibus ignem vastatorium strueturæ & villarum culminibus admoventibus, pene villagium esse desivit, perieruntque nobis illic plurima ædificia. Primum enim allodium in monte positum, omnino in strueturæ periit. Deinde allodium ibidem maius aliis, locum habitationis retinuit, extincto igni domum vorante. Tertium insuper allodium suorum retinuit nihil. Domus item parochialis & allodium, quod vice nostra plebanus ibidem residens habet ab ecclesia, una cum curiis nostris, viscera dira Vulcani receperunt.

*Oderickeshusen.*

**A**llodium etiam in Oderickeshusen edax ignis absumpsit. Hæc sub anno Domini 1521. omnia.

*De altera Diocesanorum obsidione 1522.*

**E**iusmodi malis septi in annum venimus 1522. Hoc exercitum, ab Imperiali maiestate sibi destinatum, Principes excipientes, tertio iam in diœcesim castra moverunt, quæ prima oppido Gronavia applicuerunt. Quod licet multis variisque modis expugnare tentavissent, mansit tamen ultra mensem inexpugnatum. Sed tandem cum non esset, qui obcessis suppetias laturas videretur, quorundam militum sibi timentium malis consiliis persuasi, nocte, aggeribus suffosis obscientium manus, ut sperabant, evasuri, oppido relicto fugerunt, omnes. At dum gladium fugiunt, in gladium incident. Dum enim iam omnem præterissent exercitum, procubitorum vigiliis panditur, moxque ad arma currentibus copiis Principum, denunciantur clanculum fugere obcessi. Quibus e vestigio fugientes consequentibus, propediem apprehensos neci addixerunt: paucissimis vitam concessere. Vbi autem sanguinari furem fecuti, (non præter tamen suorum etiam multorum interitum) miseros prostraverunt, ad oppidum viatores properarunt; quod licet vacuum hominibus invenissent, ad meridiem tamen usque, labore maximo sudantes, vix aperire poterant. Præda oppidi omnibus in concione data: oppidum ipsum custodibus committitur; & in obsidionem Alvedianorum

ram festinat. Quos ubi in tertium diem usque obsedit, Antistitem Hildesianorum famatur reverti cum militum exercitu conductio. Mox obsidione soluta Principes in illius occursum festinarunt, oppidum Gronavianum exurendum jubentes. Vbi Hildesiani ab obsidione Alveldianorum Principes revocasse pedem audiere, eos quos, ut Alveldianis auxilio forent, illis miserant, revocaverunt. Consilio autem episcopi Hildesianorum per patriæ infideles destructo, eas, quas conduxit, copias in diœcesim adducere non potuit. Quod ubi Principes rescrire contigit, exercitibus, quos paulo ante ab obsidione semoverunt, Alveldiam circumdederunt secundo. Alveldiani itaque omni spe destituti & auxilio; quippe quibus Hildesiani suppetias rogati denunciaverant, ut vitam quo possent modo redimerent: ad Principes Brunsvicenses desciverunt, in ditionemque digitos tulere. Quos ubi deditios sibi Principes iuramento fecissent, mox atque insperato castra Winzeborgo advenientes castra admoverunt. Cum autem stipendiati, Martis videlicet satellites, impetu adordirentur muris ipsius castri irruere: fortissime quidem his repugnatum fuit. At nescio quo fidere, fortalitium castri fortissimum, turris videlicet illa, quam vulgari nomine den Beyerbarch vocant, rupta bombardâ, ignemque in mortiferum pulvrem jaciente, accenditur; cuius cum flammaria ad irruendum muris dispositi servi, vidissent, quia iam non metui illis fuit quicquam mali eo ex loco pati, non secus atque Dæmones muros ascendentes, inferius castrum vicerunt. Deinde adversus illos, qui in superiori castro stabant, pugnantes, multos insultus tentantes, regredi fuere compulsi. Verum cum scirent, se non posse defendere castrum ex eo pugnantes, vix consulendum iudicabant. Tollentes non quidem solos digitos, sed totas manus, pacem precabantur. Et concessum illis fuit ad petitionem. Quamvis autem congressus ille satis fuerit exiguis & paucis adhuc in castris agentibus compertus, fere tamen censum ex stipendiatis eo loci occubuerunt, plurimis lœfis abscedentibus.

Paucis illic diebus peractis, quibus in Hildesianos sese disposuerunt, clamante præcone iubentur omnes subsequi exercitus ducentorem. Ducuntur ergo in obsidionem civitatis Hildesianorum, rem inutilem tentaturi. Obsidebant enim Hildesiam.

At profuit nihil, nisi ad evacuandas pecuniis bursas, & vicissim experiri, quid possent bombardis, quarum horrisono strepitu atque tonitru & tellus contremuit & æther, ut & nos hic loci, quid illic ageretur, scire possemus. Hildesiani vero, ubi ad unam civitatis partem castra metabantur Principes, illi in alia parte vel pastinabant agros vel hortos colebant.

Demum, cum iam messis falcem postularet, & illi, qui Peynense castrum tuebantur, gravissimos se redderent Brunsvicensibus & illius terræ indigenis, deprædando, vinciendo, abducendo, adeo, ut frugibus terræ colligendis omnibus impedimento essent: obsidione Hildesianorum soluta, Peynensi castro Principes applicuerunt. Vnde & Hildesianis evagandi & spoliandi facultas redditiva fuit.

Longiuscula obsidione Peynense castrum vexabant ut ante iam primo & secundo bello; at quantum in primis duabus, tantum in tertia hac obsidione profecerunt. Hildesiani namque, qui ipsum castrum in suam defensionem suscepserant, aut in eo mori aut viverè statuentes, animis ferocissimis repugnabant. Et licet tormentis ipsis æneis validissime Principes concusssissent tam tress quam alia castræ edificia: non gravatim id tulerunt Hildesiani. Quod eminet, dixerunt, datum est illorum fulmini: quod non cernunt, nobis manebit. Obsederunt autem illud & oppugnaverunt uno in loco Princeps Hinricus Dux noster; alio in loco Princeps Ericus Gottingenarum Dux; alio item in loco exercitus, a latere Cesarea malefatis Principibus nostris directus. Taliter obsecros longiuscule, cum eos in defectionem sive ditionem non perurgere possent, pene defecerunt obsidentes. Eapropter in commune diem statuere, quo oppugnantes virili sua tentarent aggeribus illius & muris irruere. Quo luceinte operi sese accingunt, buccinis clangunt, & cuncti uno impetu, quique tamen exercitus suis in locis, castrum aggrediuntur, vallum ascendunt, in castris ipsius captionem clamant omnes. Cadunt ibi multi, plures illi: mors contemnitur, solum castrum petitur. Eo tandem pervenitur, ut penne manus conserere licet, ferme congredi superest. Volant e castro lapides sphærici, volant bombardarum cunei rotundi, volant sagittæ, iaciuntur lapides, quibus ascenderentes vulnerantur, prosternuntur, occiduntur. Hac in pugna, hac in congresione Principis Hinrici crus læditur; cadit ipse Princeps, multi in illum protegentes ruunt. Canitur mox receptui, impugnatio solvitur. Dumque una in parte ingens ululatus & clamor oritur, aliis in locis timor percellit omnes. Discedunt, dissolvunt acies: cumque multo gravitus esset descendere quam ascendere, alii aliis sunt oneri, imo alii alios conculcant & tentati congressus ipsi sibi efficiuntur ultores. Plurimi hinc in fossatis ceno opperuntur, desuperque, cum victores se vidissen in castro, gravissime in abscedentes, bombardas torqueant, percutiunt, occidunt. O gravem nimis sortem! Cum autem nihil in illa congresione profecissent, sed magis se non solum confusos, sed etiam plurimos ex suis peremptos dolerent, obsidionem solventes, castrum pugnaci genti reliquerunt.

Lam-

## Lammespringk comburitur 1522.

**O**ppidulum *Lammenpringe* misfis aliquot equitibus & peditibus adæquare solo princeps *Hinricus* iusfit, ignique dandum. Paruerunt iusfioni satellites, ignemque straminibus inimicum cunctis supponentes structuris, solo oppidulum adæquavere.

## Sehusen expugnatur 1522, Dionysii &amp; sociorum die.

**A**liquot dies transierunt, post quos *Antistes Hildesianus* equitum aliquantam copiam collegit, & Hildesianis comitantibus *Sehusen* sive *Sesen*, ut corruptum habet vocabulum, agreditur. Hoc cum oppidulum primo die nequiret expugnare, fortiter agentibus incolis sub spe suppetiarum, amovit quidem castra: at mane diei alterius iterum aggreditur, animisque virorum ob exprobationes ab illis auditas, dum discederent, exasperatis, perinde atque si nihil ficerent vitam, in repugnantes asfilarunt, ignem ædificiis admoverunt, & quotquot obvios habuerunt, ferro trucidarunt; aliis ad castrum fugientibus, quod propter ignem expugnare non poterant & necessariam illis discessionem.

Id etiam non prætereundum putavi silentio, quod, priusquam *Lammenpringe*, *Sesen* & *Gronau* igni tradita fuissent, vidimus globos quosdam ignes incumbere locis, perinde atque futurum, indicantes. Similiter omnibus fere noctibus, cum vigiliis nocturnis instaremus, è cœlo in diœcesim mitti vidimus sagittas quasdam ignes, quas vulgus redas dicit præliares, idque adeo frequentari vidimus, ut ipsum etiam cœlum in exitium diœcesis coniurasse arbitraremur.

## De prati nostri in dem Mordal commutatione.

**E**odem anno videlicet 1522. Domina Ducissa, Principis *Hinrici* contra diœcesim agentis mater, *Gandse* habitans, piscinam unam fieri fecit in valle palustri sive in dem *Mordal*, dirigente negotium Ioanne de Scarpenthayn advocate. Cum autem eam piscinam nostrorum patrum incommodaturam certo sciremus, eo quod & ipsius aggerem in pratum usque nostrum locassent, & cum vel piscandi gratia aquas dimitterent, vel rupto etiam aggere aqua ipsa multum damni nobis illatura esset: super re ipsa hic venerabilis Pater & primum negotii directorem, ac deinde, ubi nihil profecit, Dominam Illustrem convenit, in medium afferens, solum ipsum pratum e bonis omnibus in *Lutoloeffen* remansisse Clusæ, quod per ipsam piscinam etiam nolentibus illis, qui piscinam ficerent, esset nobis annihilandum. Quam quidem rem et si ad dies aliquot dissimulassent, ipsa tamen Domina, semper nobiscum amice agens, ubi clarius intellexit, commutationem fieri illam concescit, ut ipsum pratum cederet castro, & illius loco agri nonnulli restituerentur. Itatum in sententiam fuit: Vi enim vim pellere nequivimus. Pratum vicinis sibi Dominorum pratis adunatur, & agri nobis dantur, & ut verum fatear, ablatum ablato compensatur. Eos namque agros, quos ultraviam hinc in *Dangleveffen* ducentem, supra videlicet lapidifodinam nostram up den lerken Velde cum reliquis monasterio abstulerant, restituit, iugera plusquam tria; & omnino pluris illa facimus quam pratum.

## De pacis compositione 1523.

**A**ccepit exinde annus 1523, annus inquam longo tempore optatus; quo & clariores reluxere dies, quibus donatum fuit mortalibus, quo pacto inter disidentes pax optata institueretur. Plurimis ad id negotii convocatis, nonnulli Principes & Hildesianos & Brunsuicenses adesse, & concilio interesse, imperiali autoritate compulerunt. Vbi cum episcopus, licet citatus, non comparuisse (haud enim causa cedere voluit) *Hildesiani* ipsi, litis fixe cum Principibus causas infringentes, pacem longo iam tempore in exilium trusam, terris revocaverunt, diœcesi cum episcopo derelicto. Cæsarea quippe autoritas finem rebus dare urgebat. Sicque factum est, ut exteris terras episcopus peteret, diœcesi spoliatus, & suorum defensione destitutus.

Si rimari placet, unde diœcesi exitium? ex tribus videbis maxime hoc illi evenisse: male videlicet de diœcesi merentium defensione, Cæsareæ maiestatis despectione & stipendiæ equitibus debiti negatione. Vbi enim Episcopus quosdam castris eliminare voluit, non ferentes id, ad Principes Brunsuicenses confugerunt, & litteris hostilitatis Episcopo missis, plurimum reddiderunt se inhumanos diœcesanis, comburentes, captivantes, occidentes. Poterant enim; quippe quibus ad fugiendum compulsis castra Principum patuere. Hinc contra principes Brunsuicenses initium bellandi sumvit Episcopus.

Ceterum ubi Episcopus potitus victoria contra Principes, & *Ericum* & *Wilhelma* vincitos habens una cum plurimis nobilibus, vasallis, iudicio imperiali iuberetur vincitos omnes in manus Casaris dare: noluerunt diœcesani parere edicto, sed insuper, rei istius causa ad illos directos, coniutiis affecerunt; cumque bis & iterum, super ponendo supercilium & obsecundando maiestatis Cæsareæ edicto, conventi refragarentur: proscriptione illorum contumaciam Imperator multavit; Principem *Ericum*, qui iureiurando, numquam se contra diœcesin mali

mali aliquid tentaturum Beatae Virgini eretis digitis pollicitus fuit, iuramento absolvit, & contra diœcesim agere iussit.

Cum demum Principes diœcesim occupando expugnarent, Episcopus copiosam equitum multitudinem exteris collegit in terris. Comes quoque de Somborg adhærens Episcopo, quingentos optime ad pugnandum accinētos equites apud se habuit; ut sicut ante ita & iam exturbare Principes facillime potuissent. Ipsi equites antea, quam bellum tentarent, stipendiū aliquam partem donari sibi petierunt: quod ubi Hildesianis & aliis rem agentibus intimatum fuit, tantas pecunias sibi non esse causabantur. Quod ubi resciverunt equites, propositum & impendens certamen subire nolentes, fracta conventione, ad propria redierunt. Sicque actum est. At missa sint hæc. Ad ea, quæ supersunt, redeamus. Id demum non prætereundum censuerim, quod pace ita concepta & nonnullis etiam locis denuntiata, malī rotius nos pene finis fuimus. Revertentem namque currum nostrum, non longe a minori Freden equis septem spoliaverunt latrunculi, atque in Hildesiam asportaverunt. Illos multorum auxilio recuperare contigit, nonnullis tamen pecuniis depensis: at non citra equorum defectionem.

Cum ergo tota diœcesis vel defectione vel deditio vel expugnatione in dominium Principum cessisset, tribus videlicet castris exceptis, Sturwolt, Payne & Mariano Castro, quod Hinricus princeps restituit: pax denunciatur ubique. Qua terris reddita, miro valde modo ad focos proprios querendos rusticana g̃ns currebat; & quemadmodum, si formicarum nidulos destruxeris, mirum vides illarum laborem, & alias ova, alias fœtus, alias grana gestare, atque acervum pro suo posse reparare: ita & populum terræ instaurationi perditorum & exustorum instare vidisses, data pace. Et quia omnia, quæ nobis erant in villa-giis, fuere ablata; & quæ remanserant, quæ auferri non poterant, exitere combusta: non fuit villicus nobis, non aliquis agrorum census: verum exactiones, ac item servitia, sola in vigore suo, quin etiam fortiori, remanserunt. Hinc factum est, ut illic exactionibus, h̄c vero pene inopia premeremur. Inter tamen ista hæc consultius iudicavimus fore, habitationes exustas novis redimere, quam nec villicos, nec emolumenti aliquid ex agris scire: premi tamen agrorum onere. Ex necessitate igitur virtutem facientes, ipsi nos operi accinximus; & in luto plurimum laborantes (multorum cum admiratione) nostra allodia instauravimus omni pro virili. Ipsi sepius, linire, dupli malo coacti fuimus; ut aliis exemplo, aliis admirationi, aliis commiserationi, aliis etiam subsannationi essemus.

### *De quorundam patrum ad carnium esum defectione.*

Hoc etiam anno plurimi Patrum *observantie Bursfeldine*, carnium desiderio flagrantes, non exiguum regulariæ constitutioni perturbationem concitataverunt. Id autem unde serperit, ut palam fiat, altiuscule putavi repetendum. Anno Domini 1521, cum sacri ordinis nostri Patres capitulo provinciale Werdeæ celebraturi adunati essent, nescio quo (scio tamen non bono spiritu sufflante) ubi eos consulere profectui oportuerat, contingit plurimum obesse. Ad ordinis namque destitutionem consulto quidem, cum oculos direxissent, ubi causam ex personis maxime ortam & causari deprehendunt, halucinantes, solam inscitiam fratrum mali omnis causam ac totius destitutionis denunciant: de fratrum autem mala & institutione & directione mentionem nec parvulam quidem facientes. Inventa, ut arbitrabantur, mali scaturigine, consilium ineunt; fratres bonarum litterarum scientia instituendos decernunt, assignato illis studii loco in monasterio sancti Petri Erfordie: rem quidem non damnandam; quam tamen citra optimam & necessariam cœnobiticæ vite institutionem, plus turbationis quam edificationis nemo est quin allaturam inficias ire possit. Ceterum, ut celerius cœnobis consuletur, docticulos adsciscere ordini nostro curæ suscepserunt. At curâ susceptâ, malesuadus carnium appetitus sese interposuit, clamulunque suggestis tractantibus boni consulere; Ah! inquit, carnis abstinentia obstat: plurimis illa viris scientia rutilis viam ad cœnobiticam vitam præcludit, vñ bono Dæmoni.

Huius verbis persuasi, neutiquam viam aliam ad ordinis conservationem & profectum cœnobiticæ vita iudicaverunt patere, nisi ut ab antiquo, tanquam male de ordinis profectu meritum, carnium videlicet esum consulto profligatum, & optimo patrum consilio in exilium trufum, stuperter præter etiam moram revocare, ac monasteriis reducem destinare. O consilium! Certe pro ordinis honore confusionem, pro iuvamine destitutionem, pro conservatione observantiarum exitium adsciverunt. Artium ingenuarum studium admittimus, littoratos viros complectimur; sed unde & quossum carnipetentia obrepit & tendit? Certe carnium esus ad cœnobia revocatus patrocinaturus sit, opinantur. At falluntur: falluntur, inquam, opinionesua. Haud enim profectui patrocinabitur, sed magis parebit transgressioni. Quin etiam non parebit solum, sed & præerit. Litteræ ad Sanctissimum dantur, subdola narratione carnes Benedictino ordini, iam ob longam caniciem male habenti, petuntur. Narrantium verbis Pontifex Romanus, totus ferme ob condolecentiam liquefactus, fiat, scripsit, quod pertinet. Quid dicam? quæ nocuere (non iniuria dicuntur) fecuti, & quæ profore Divus Pa-

ter Benedictus novit cœnobitis, fugisse. Iam quodlibet ut liceat, causam ex ordinis defectu, ut putamus, nanciscimur. Viderint, viderint, qui tam letale vulnus optimæ observantia & laudatissimæ vite intulerunt. Desciverunt igitur ab observantia Bursfeldensi ad carnium esum omnia in diocesibus Magdeborgensi & Halberstadensi canobia:

In diocesi Hildesheimensi: monasterium sancti Godebardi civitatis eiusdem, ad muros videlicet Hildesianorum, cuius Abbas quasi primicerius transgressionis fuit. Ad S. Michaelem ibidem ad tempus participabantur. In Ryngelum quoque a carnis avelli noluit.

*Clusa* vero, mater monasteriorum sub unione Bursfeldina constitutorum, *limitibus paternis non excessit*, cui Norhemense, Reynbusense & Bursfeldense monasteria adhaesere. His etiam Corbeiense manum dedit. In Thuringia carnipetis connivere. In Franconia pauca dexteritatis memorabantur paternæ: alia nidore carnium obiectabantur. Superiores Rhenenses perfite- runt. Vbi autem carnis aliquantis per indultum fuit, in palam venit, quomodo carnium esus non suffragetur vita cœnobiticæ, sed magis contra illam incrudescat. Mox enim gusta- ta carne, molliculi tegminis inducebantur vestimentis. Lanea delicatilo corpusculo apta non est, linea paratur vestis.

De ceteris tacendum putavi. Caro enim carnem appetit, & ubi adeps spargitur, illic vehementior ignis. Huius perniciabilis licentia prætextu magnaniorum contentio cepta est, aliis carnivoracitatem proclibus & eam etiam defensantibus; aliis usum carnium exhortentibus, & omnino bene valentibus cœnobitis prohibitum asseverantibus. Quam dissensio- nem integrati cœnobiticæ vite adversari, qui dubitet, puto sit nullus. Eya, bone lector! vides, quam nihil sit stabile in humanis actibus. Nondum centesimum attingit annum reformatio, quæ hoc in monasterio cœpit, & iam tam facile in antiquam redditur silvam. Re- tia sunt hæc Diaboli, pedicæ, laquei, artes dolosæ: viseata hæc illius virgæ, quibus bene sub regulari vita degentes secesserunt, haud secus atque volucrem aucepit subdolus.

#### De Lutherana factione.

**I**N annum venimus 1525, annum dixerim, quem tenebræ mortis obscuraverunt, mentium, caligo occupavit & involvit amaritudo; annum, inquam, quem turbo tenebrosus posse- dit, cuius etiam caligine stellæ obtenebrata fuerunt. Hoc namque anno conceptam in vi- scribus *Lutherus* iste iniquitatem peperit; in quem non iniuria flebili voce clamet ecclesia pa- tis Catholicæ, dicens: pereat dies illa, qua natus est homo iste, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo, homo, inquam, rixæ, iræ, dissensionis & rimarum omnium plenus. Erat iste Lutherus ordine quidem *Augustinianus*, de eorum numero, qui *Eremitas* sese appellauit, cui nomen *Martino*. Verum hoc nomine omnium iudicio indignus habitus, à cognomine fortitus est suæ insipientiæ in posteros memoriam. Hic hæresiarchæ non Christi tantum ecclesiam turbavit, sed & omnium viventium sectas, Iudæorum, Sarracenorum & aliorum etiam infidelium confudit, & totum insuper mundum una cum decipulis suis in alias leges se con- versurum speravit. Huic consentientes, cum *Martinianos* nonnulli nuncupassent, contra omnium iudicio bene sentientium *Lutheranos* appellandos decretum est. Ipse vero & se & suos *Evangelicos* vocando falsissime fancivit. Nulla unquam hæresis fuit, ex qua non aliquid sibi accepit Lutherus, cuius doctrina stercorea, Husitica perfidia, cryptica (\*); impuden- tia amplum prætendit voluptatis privilegium. In Clerum protervite facit ty- rannos, sacerdotes sudare in venerem, medium unguem decretis Prælatorum ostendere, tem- pla expilare. Monachos exitios iungit matrimonio, Deo sacratas virgines desponsationis suæ immemores reddit, & nubere viris facit, & decem millia malorum persuader, licenterque fieri docet. Hoc hominum studium ubi inferorum rescivit Rex & tenebrarum Dominus, na- ctus voluntati suæ tempus idoneum, iusfit erebo furias egredi; & procellas undantes in Christi navem Neptunus suo tridente commovit, & subitanam submersionem sibi spopondit. At, quid monachus, & quid demum multi collaborantes, sed inermes? Hinc ne deforent hæresiarcham defendantes, maximos illi rex discordiarum adscivit Principes, ut, quod ille do- cuerit, hoc hi defendant, etiam usque ad vitæ excessum. Fuere autem hærecois istius alu- mni *Fredericus* Dux Saxoniæ & *Ioannes* frater eius. Frederico autem vita funeto, *Ioannes* super- fites plus fratre defuncto valuit, & in illius locum filium suum nomine *Ioannem* (\*\*) assumuit. Deinde & comitem Hassiæ *Philippum* sibi adsciverunt, *Ducem* quoque *Lunenborgensem*, Comitem etiam *Mansfeldie*, Comitem *Anholci*, Marchionem insuper superiorum & alios plurimos, qui omnes tam Romanæ ecclesiæ illuserunt, quam Imperiali maiestati refragabantur.

#### De monasteriorum devestatione.

**E**T quia Lutherorum dogma Clericos & omnes monachos perinde ac non ferendos cen- suit; & ipsos solos plurima possidere bona, quæ multis communia Deus dedisset, perhi- buit, invidentiæ (nescio quomodo naturæ ruricularum, communis etiam vulgi insitæ) fo- mitem

(\*) f. Cynica.

(\*\*) Iohannem Fridericum.

mitem adiecit. Non post multos dies in omnes ecclesiasticos, tanquam in odiosos, ipsos rusticanos homines armavit. Anno proinde hoc 1525 in Sveria plurima millia rusticorum confluunt ex circumpositis pagis, nullo sciente, quis rem instrueret. At minime convenire poterant præter principum disimulationem. Et quia maxima eorum pars ex adiacentibus pagis Hercinie silvæ fuerat, ex ea & nomen exercitui illorum datum fuit. Herciniam autem silvam nigrum silvam dicunt; unde & rusticorum illam congregationem *nigros* vocaverunt, *de schwarten buer*. Hi ubi ingentem habuerunt multitudinem, rem fortiter aggressi, nulli voluerunt amplius subiici, sed comiter vivere omnes, & vel ingenuitatem aliquam sciare, vel proprium posidere, ut nefas vitare. Vnde & oppida & civitates sibi subiecerunt, & monasteria in suum assentire pactum, etiam iuramento coegere. At hi quidem usque ad Moguntiam debacabantur, quam ingressi Duces eorum, ubi cogitabant se sapienter acturos, & illam quoque civitatem in ditionem se accepturos: infidiarum incautiores, capita perdiderunt. Vbi autem ruricularum illorum nigrorum exercitus ita egisse aliis terris innotuit, eodem Damone & ira percita gens rusticana, multo maiora tentare coepit. Magna nimis multitudo se in Franconiam, & in Turingiam alia multitudo rusticorum diffudit & peiora prioribus adinvenit. Hi enim monasteria non in ditionem acceperunt, sed prorsus omnibus spoliata vel deturpaverunt vel etiam destruxerunt. Vnum scio in Franconia illos fugatis monachis solo adæquasse, cœnobium videlicet *Swartsaten*. In Thuringia præter alia monasterium *Reynersbornense* miserabiliter confractum, deturpaverunt pessime, reliquias sanctorum disperserunt, sepulchra effregerunt, libros inventos in unum positos combusserunt, quorum pretium in valore fuit *trium milium florenorum*. Erfordiam etiam ingressi omnium doctorum & sacerdotum curias & domos spoliaverunt; quorum quidem libros non prædæ dederunt, sed aut igni aut securi. Hoc autem minime potuerint: sed civitas ipsa dogmati Lutherano manus iam dederat, & quod ipsi cives non audebant, id genti illi nihil verenti secreto favebant. Ex aliis autem monasteriis fugatis monachis, quicquid obvium fuit, auferebant; versis aris sacris & imaginibus, campanisque destruetis.

In diecibus etiam *Halberstadiensi* & *Magdeburgensi* nullum mansit cœnobium, quod non spoliatum & miserabiliter interius destructum fuisset. Nam & illic copiosa rusticorum hominum multitudo confluxerat, & tantum facinus ausa, multo maiora se facturam putavit. Hi maiore furoris impetu in monasterium *Husseburgum* irrumpentes, non spoliaverunt solum omnium aliorum more, sed etiam ignem illi admoventes, solo adæquavere. Remansit ecclesia in combusta quidem, sed non aliâs, quasi ab impiis Turcis fuisset devastata, ignavorum hominum malitia in visentibus se vestigia ostendens. Vix enim muris illius parcitum fuit, & id ipsum propter laborem vitandum. Alia enim omnia effregerunt, infregerunt, comminuerunt, etiam altaribus turpissime subversis atque eversis, & reliquiis sanctorum dispersis. Campanas in præcipitum datas fregerunt fractasque deportaverunt, iure Sathanico Domini omnium facti. Vbiique igitur locorum in monachos arma parantur. Genus hoc, aiunt, attonsum coma, ut quid totius mundi bona occupat? vita illorum insaniis plena, ut quid tam diu perseverat? Dolet impietas, rusticorum fuit crudelitas, fremit invidentia. Hinc, quemadmodum capit is damnati damnationem opperientes, vitam agunt molestiore: ita monachi, de hora in horam suorum monasteriorum exitium maximo angore, pertimescentes, vitam vixerunt nullo mœrori æquiparandam: quippe quibus nec securum fuit ad eos, quos amicos putabant, levare faciem, dicere verbum. Dumque sic in Christi magalia furentes lupi irrumperent & ad libitum debaccharentur: non fuit ex Principibus, qui miseras monasteriis, tantis malis vallatis & tam execrabilis ignoravimus & rusticorum hominum impetu obfessis, suppetias ferret. Omnes enim, non suam rem agi iudicantes, domi se continebant, dogmate Lutherano perciti. Esto enim, monachos fugent rusticani; esto, cœobia funditus destruant: bona tamen ruralia monachorum secum deferent minime. Ea igitur in fiscum Principum venient. Quod enim dissimulaverint, & bona sibi infiscari optaverint, eo liquet facillime, quod, dum post devastationem, etiam combustionem, cœobia monachi repeterent, non concessus fuit aliquibus, vel ad monasteria accessus, vel ad ea instauranda permitta facultas; nisi multis florenis ipsa cœobia perinde atque ab hostibus redemissent.

Demum recordatus suorum moderator omnium Deus, ubi vidit, neminem rebus monachorum consulere; sed quod licenter indomabilis rusticana illa gens suos fineretur exercitus in Dei militum castra cogere: quasi excitatus a somno, quo insipientiam hominum despexit & ignorantiam disimulavit, festinato rebus sibi deditorum opem ferri iussit. Male igitur brevi perdendorum hominum animos, etiam in Principes suscitavit, ita, ut, qui eousque in monachos arma movissent, iam in dominos terrarum ac Principes coniurarent, nolentes aliquem sibi ius dominandi adsciscere, cum unum esse omnes vera dilectio postulet. Ea ergo rusticorum impia multitudo, quæ in Turingia monasteria vastavit, etiam principum castra magno cœpit furore diruere & prorsus solo adæquare. In quibus diruendis nullo pepercit labori. Igni namque abstinentes, ne videlicet genti propriæ quid incommodarent, ubi castris cohabitant, securibus destruebant omnia; adeoque magnam rem fecerunt,

runt, ut admirationi plurimis fuerit, quomodo tantum potuissent. Ut autem sic castra destrui, indesque numerum augeri savorum hominum Principes resciverunt, iam suam rem agi videntes, in proximoque summam calamitatem futuram & extremum periculum pertimescentes, cohortari sese coperunt; & dum adhuc licuit vi vim pellere, lanceam arripuerunt. Galeam capiti ponunt, equum ascendunt, bellum adornant, copiis suis in Thuringiam deductis, gentem inveniunt (non aliter quam Sarraceni agere solent) in ecclesias furere, altaria subvertere, sacramenta dehonestare, oleo sacro calceos linire, imagines tum sanctorum cum etiam salutiferi Christi deturpare, manus vel pedes praescindere, nasos amputare, oculos eruere, & id genus alia dehonestamenta tentare. Habuit autem haec ista multitudo sive vesania Duxes duos apostatas, uni nomen Piper, alteri Münster. Hi doctores & Duxes vesaniae plebis, dæmone peiores, equitem unum ex Durstadi, bellicæ artis expertissimum, sibi associabant, qui centum fere habuit equites. Hunc exercitus dirigendi fecerunt Principem: isti consulebant & iubebant. Porro Principes cum suis copiis, castris impiorum appropriaverunt, & in unum omnem rusticorum populum cogentes, bellum illis indixerunt. Et iam, quibus furor immensus fuit contra monachos, in nullo sese defendantes, illorum inquam consilium periit, furor in formidinem versus fuit, & nec quidem se parum ulcisci in irrumperentes poterant. Septem milia & quingenti rusticorum interempta, mille capti: & per totam Germaniam centum milia ense ceciderunt. Prostrata impiorum illa multitudine, *Sangerhausen* in prædam victoribus dant Principes, & obvios truncari iubent. Deinde aliis civitatibus insperato advenientes, Molhusen & Durstadi potiuntur ad libitum. Quia enim à vera sapientia defecerunt ad stultitiam Lutheranam, omnem ab illis sapientiam Deus abstulit, & Principibus multandos & ad libitum tractandos dedit. Acceptis igitur civitatibus in ditionem quoscunque Lutheranos invenerant litteris præditos vel factioni obnoxios ab aliis publicatos, vivere non patiebantur, sed demissis capitibus penam dare faciebant. Haec ubi ad alias ignavæ plebis turmas afferuntur, pedem figunt, clamque alii ab aliis fugiunt. Noluit enim, omnia desuper respectans Deus, eos in unum congregari, licet in verticem res pene pervenisset ob Principum disimulationem. Nondum namque iter trium dierum supererat, quo omnes vesania gentis turmae convenire potuissent. Quæ si coaliuerint, non de monasteriis tantum, verum etiam & de castris omnibus, ac ipsis Principibus omnium sententia æcum fuisset. Nimia enim furentium rusticorum fuerat multitudo, & non solum de die in diem maior evasit, sed etiam de hora in horam concurrebant; & si quam terram ingrediebantur, quotquot invenerant, sibi associabant, pollicentes sibi ipsis perpetuam ab omni servitute libertatem: agros, silvas, aquas & fluenta, futura omnibus communia. Tantusque Principes vel sero horror percultit, ut rem desperarent. At cum in Thuringia servissimos illos rusticos protrivissent: & alios alii aggressi partim fuderunt, partim prorsus occiderunt. O quot millia ferro percussi furoris sui in monachos penderunt penas. Itaque factum est, ut dum monachos Principes internecioni eripere, & monasteria a furore gentis ignavæ crux noluerunt: suam rem sequere summa eos necessitas cogeret; ut dum se tuerentur, nollent, vellent, suppetias ferrent monasteriis, & monachis opitularentur, extremo iam periculo vitam agerentibus.

*Quantis debinc conviciis monachi obtundebantur.*

ET quidem manibus rusticorum potestas monachos eripuit: verum linguis hominum, quæ liberæ sunt, legem ponere haud potuit. In quos igitur arma movere non fuerunt permitti, in eos linguas acuerunt, non rusticani tantum sed & urbani omnes; senes cum iunioribus, mulieres cum filiabus, adusque lactentem dico. Nullus omnia nomina monachis data facile litteris mandare posset; nullus in illos scommata iactata: nullus ledorias depromere valeret. Vbi monachus apparuit, alius, en, dixit illic *lupus*: alius, audi, ait, tu veneripeta, alius ecum Huchelerum. Patenti autem in campo si monachum etiam a longe videri contigerat, mox, uno in eum clamante, omnium voce inclamatur, & non fecit atque in rapacem fieri solet lupum, variis verbis invehuntur, & prope urgent infontem hominem. Iussus aliquando cum alio fratre ad invisandas pratorum sepes exire cœnobium, insperato copiosam hominum & peditum & equitum multitudinem, a nundinis revertentem, obviam habuimus; qui ubi nos viderunt, adeo in nos clamabant & scommatis nos tantis afficiebant, ut etiam ad illos, quos notissimos habuimus, erubesceremus, & facie demissa, tam terram quam cœlum in nos boare putaremus, vixque nos ipsos sustinere possemus, confusione nimia & verborum obscenitate pene stupefacti. Pauca haec ex innumeris illis malis, quæ in monachos reciderunt, non præter iustum Dei iudicium, scribenda iudicavi, & de his fatis.

*De civitatum quarundam & multorum monachorum in Lutheranam factionem assensione.*

HOC anno [1526] Hamborg & Magdeborg ad Lutheranam factionem ab unitate ecclesiæ defecerunt,

cerunt, quorum summum studium erat in illis & similibus, quæ de rustica & insana multitudine depinximus. Versis ecclesiarum altariis, domos Dei de honestaverunt, nullum inter unctos Dei & extremos civitatum populos discrimen esse voluerunt; cœmiteria & forum similia; Deo psallentes & vaccas boantes æque Deo placentes. Et ut Parthenopolis sive Magdeburg præ omnibus civitatibus ecclesiæ subdita, Deo videbatur ob populi devotionem & religionem specialiter amabilis: ita, ubi descivit ab unitate, plus omnibus & quidem singulariter, Deo detestabilis vîsa fuit. Vnum horum factum libet his inferere. Virginis Dei Deiparæ imaginem curru illo, quo nocturno tempore cloacarii, foricis & foricarum fordes omnes civitate eiicere solent; illo, inquam, in curru Virginis tam bene de se meritæ imaginem, in illius detestationem, è civitate abduxerunt: Certe rem, quam veritam oportuit ne illius ob gravitatem homines terra dehiscens, malitiam puniret. Insuper licet omnium malorum causa monachis fuerit Lutherus spurcus: ad eum tamen plurimi & sacerdotum & monachorum convertebantur, & eum, qui illos vel ab ecclesiis vel a monasteriis abiecit, venerari cœperunt: ut non iniuria de illis Deus patiens per Prophetam dixerit: Populus meus dilexit talia. Abieicto igitur habitu tam viri quam feminæ votifragi, & nubunt & nubuntur, & quod magis mireris & suspenduntur & suspendunt. Vbi enim Deo posthabito, quæ mundi sunt, amplectuntur & quæ carnis sunt, perficiunt; plurimi eorum, laborum insci & omnium egentes, vel furantur vel latrocinantur, & criminum convicti, quales reperti sunt, tales iudicantur. Despexit enim illos Deus. Vnus etiam patrum de Marienbarghe, per Comitem Hassia a monasterio fugatorum, lictoris fungebatur vice; & ubi capitis quidam damnatus necandus fuit, lictori seâ associans, fac, ait, me mercede operis potiri. Cui ille, Heych, ait, si nosti, cedo. Accepto igitur gladio, uno ictu demessuit damnaï caput. Hic civitatem ingressus, cum obviam factus fuisset fratri ordinis nostri, cui optime cognitus fuit & ob id audiret ab eo: hey, frater, hey, quid egisti? respondit: Viderit ille, qui occasionem, dedit.

*Erfordenses consulares omnia, quæ in monasterio montis Sancti Petri ibidem invenire poterant, abstulerunt, adeo, ut nec poculum unum relinquenter. Vineta quoque & agros auferentes, cibibus locaverunt. Hi licet primi fuissent in factionem Lutheranam, litteris tamen & mandato Cæsarii commonesacti tumultum populi sedaverunt; quoad meliuscule de secta iudicatum fuerit, iram & invidentiam animorum suspendentes. Hanc tamen monasterii depopulationem, cui acceptam referamus, nullus est præter ipsius cœnobii Abbatem, Ioannem, qui a capitulis ecclesiarum ibidem desciverat, convictus dilapidationis rerum monasterii, seque in manus Consulium Erfordensem tradidit defensandum.*

#### *Incidentia temporis.*

**H**oc anno [1528] Brunsuicenses ab unitate ecclesiæ Romanæ & fidei sinceritate ad impurissimam Lutherorum factionem desciverunt, similes facti Parthenopolitanis blasphemia, sacrorum irreverentia, sacramentorum detestatione, sanctimoniorum corruptione. Misericordiam sub omnibus nota lingua celebrabant, utraque sub specie communicabant, Virgines cœnobiosis abstractas nuptui tradebant, monachis & sacerdotibus uxores dabant, sanctorum imagines conculcabant, fecabant, adurebant, sine lege vivebant. Imitantur studia Brunsuicensium Rivopolitan, & nihil eorum, quæ illi peragunt, hi relinquunt intentatum. Valere iubent, quicquid tractavere avi, veritatem vanitate fugant, placet quod novum est. Vnum illorum facinus depingere cogor. Christi salutiferi imaginem, quam utique eius, quem designat, in honorem honoratam oportuit, non quia lignum est, sed quia Regis æterni & redemptoris signum, contumeliosè tractantes deturpaverunt, naso ablato & oculis erutis. Hanc ut maiori esset subsannationi, ad cellarii foramen positam, simulabunt custodire locum, non pertimescentes Deum spectantem desuper omnia. Talia & multo maiora impudens hominum errorum audacia tentavit in locis, Lutheranæ factioni subiectis; & quam multos monachos habebant apostatas, uxoratos, tam etiam inter male agentes multos habere monachos, quos die regerent.

Anno 1529. post festum Paschæ Ernestus Dux Luneborgensis, hæreseos Lutheranæ alumnus, monasterium Oldenstaden aliquot cum equitibus ingressus, regendæ facultatis eiusdem potestatem sibi postulavit contradi atque contraditæ potestatis litteras sigillatas. Dominus Abbas moribus & temporibus iudicans cum fratribus deferendum, simul feminis moliores, pro nefas! assensum præbuere in rem, quam ne dum sanguine, verum etiam morte defensam oportuit; tribus duntaxat fratribus viriliter id ipsum recusantibus, quod fieri Princeps iusfit. Accepta & rata potestate, iam executioni operam dat, & vasallum ex suis unum monasterio assignans, curam regendæ substantiæ temporariae committit eidem. Hic ad duos pene menses benignioris animi virum fratribus se exhibens, ad viatum necessaria ministrait. Deinde rerum administrandarum parcissimus evadens, cerevisia fratribus negata, tenui eos potu sustentavit; & ne lignorum pretio gravaretur, solita forçace dimissa, commo-

dum unum calefaciendis fratribus adaptavit. Quis percuesso a serpente incantatori compatur?

Insuper monasterio unum de Lutheri decipulis in prædicantem Princeps deputavit. Qui spurcus ipse, doctrinas spurcissimas evomuit, & imitandas non solum proposuit sed etiam, quod impudentius est, omnino persuasit. Vnde factum est, ut veneno lethifero fratres infecti, & divino timore postposito, factioni Lutheranæ pene omnes manus darent, ipso Abbatem, proh pudor! in fronte gradiente. Heu virum, heu Abbatem, heu pastorem! Plurimi ex fratribus monachum exuentes in Principis familiam ascribuntur; alius thesaurarius illius, alias aliud officium adeptus; alius per ipsum in Præpositum promotus, alius in Plebanum constitutus, ut hæretico gloriarentur hæretici: etiam fœdifragi, votifragi rei se se accinixerunt uxoris. Abbas quoque post duos annos officio resignavit & habitum cœnobiticum exuit, omnibus ridiculus euadens. Similia Dux iste in monasteriis sanctimonialium peregit, in quibus ante tantus erat reformationis rigor, ut nusquam locum similem, arbitror, facile invenire possem. Præpositis amotis, suæ factionis illic fecit esse fautores, qui commissam regerent rem domesticam. Spiritualibus autem prætulit peregrini dogmatis seminariorum, qui ea dicere non vereretur, quæ vel ipso auditu aures pudicæ exhorrent. Sepi obfro, domine, spinis timoris tui aures tibi desponsatarum virginum, ne audiant linguam, neque vanitatem & luxum suadentem.

### *De morbo sibi peste terribili homines corripiente.*

**T**erribilis in consiliis suis Deus super filios Adam, qui mille modis malitias hominum moderari potest. Anno hoc eodem gravis pestis terras opplevit. Nomen autem illius sudor dicitur *Anglicus*, eo quod illinc in alias terras se diffudit. Hac peste in Hamburg a festo divæ Magdalæ ad usque Deiparæ Virginis assumptionem octo millia hominum, senum pariter & iuniorum interierunt. Ex Hamburg in Luneborg, ex Luneborg in Zellis, ex qua in Brunswigam, & ex hac in Hildesiam, in Alfeldiam, in Gandesiam, in Eimbeccam, in Theopolim (\*) &c. se recepit. Plurimi convescentes alii, & lati ac sani, illa correpti, sequenti luce terræ commendabantur. Omnibus insperato adveniens pestis fortissime dominabatur, ita, ut alteram diem sibi spondere auderet nullus. Laboribus agrorum incumbentes magno numero vehiculis domum portabantur. Quo uno factum fuit, ut, quam sit populus mutabilis & facile claudicet, visideremus. Illa namque peste, & pagitas & oppidanos, servos & dominos percellente, Lutheranam ob factionem immissam timuere. Confitentur omnes, communicant omnes sacris mysteriis; Letanias instituunt, visitant turmatim ecclesias, sanctorum opem precantur, monachorum petunt orationes; sacerdotibus subduntur. Vide levitatem animorum! qui infrenes, Deo tolerante, fuerunt iam factorum penitent: qui letanias derisere, iam nudipedes easdem peragunt; qui honori sanctorum detraxere, iam illorum querunt auxilia; qui mysteriis sacris blasphemari obloquebantur, iam illis participari anhelant; quibus monachos incessere iucundum fuit, illorum iam se orationibus commendant; qui sacerdotes convictu indignos clamaverunt, illos jam dominos habere volunt. Vides, quam mutatio cita. Dixeris cœlestium corporum influxu causatam pestem. Non quidem refragor; non tamen fugit, Deum omnium causarum esse primam, cuius præter nutum nec folium unum de arbore cadit; qui minimis maxima confundere potest.

### *De pestis eiusdem curatione.*

**P**ost tantam hominum hac peste pervasorum stragem five cladem, ipsi Hamborgenses potiti remedio, quo curarentur peste attracti, ipsum ad alias civitates transmisserunt, arte excussoria multiplicatum. Et miro factum est modo, ut cum curatio schedulis commissa civitatibus inferretur; eo se pestis illico transfunderet, quo litteræ istæ five schedulæ apparuerint portatae: non secus quam morbi curatio designata, pestis ingruentis & iam iamque impendentis, veredariorum partes obivisset. Et quia morbum pestemque designavi, superest & ipsius curam, futuri gratia, depingam, & primum ipsius accessum.

Nonnullos ipsa pestis frigore, adveniens, corrupuit & horrore quodam atque tremore; nonnullos item quodam tentavit ardore & sudore, aut anxietate quapiam, nonnihil habente tremoris. Plerisque accedit dormientibus, ita, ut a somno expergefacti sudare inciperent; aliquantis somnus obrepst & cunctis destituit viribus, ita, ut somno illis optatius nihil. Ex ipsis autem nonnulli, somno perinde atque recreati, post aliquot horas ad laborem rediere; pauci tamen admodum; plurimi autem ab ipso somno nulla poterant arte avocari, at somniando finem vitæ acceperunt. Quisquis ergo se peste tangi ista percepit, ad amplum festinavit stratum, ita ut fuit permanens vestitus. Amplum obinde lectum petivit, ut citram omnem venti attackum verti de latere uno in alterum ab astantibus posset. Extrema five etiam nimia caliditas cavenda fuit, qua plerique, incautius agentes, interficerunt languentes.

(\*) Gottingam.

tes. Non ladicibus pellicis languidulus operiendus. Erat etiam frigiditas tam loci quam lecti cavenda, & quadam mediocritate agendum: membrorum autem nullum nudari, nec vento tangi, facie excepta, quam calefactis peplis extergi opus erat. Potus vel frigidus vel fortis a crescenti negabatur, concessu tenui & parum calefacto. Super haec omnia ab hora repositionis omnino depellendus fuerat somnus, ad horas usque viginti quatuor, quod unum omnium gravissimum fuit. Hinc enim dolenti dolorem, languenti languorem duplicantur curam illi impendentes. Ad pellendum namque ab illo somnum, crines sive pilos barbare ad usque evulsionem traxerunt, digitis aures strinxerunt, & mille modis excogitatis miserum miserabiliter affixerunt, ad usque nonnunquam languescentis amentiam; eo quod abdormientes mortem aliquoties iuxerant dormitioni. Nonnulli tamen adeo leviter somno sollicitabantur ad dormiendum, ut iucunda collocutione somno abstraherentur. Communior hora duodecima repositionis sudore gravi affligebantur patientes; deinde ardore & calore nimio plurimum gravabantur ad horas septem vel octo: quo tempore maiore cautela & diligentia opus fuit curare, ne vento tangerentur aut frigore, & ne somno indulgerent. Tunc enim de patientis vita magis agebatur. Ad naras languiduli olfaciendi gratia peplum, aqua rosacea madefactum, applicabatur, aut etiam aceto impositum. Aqua vero laverula tempora modice tangebantur. Hac peste laborantes 300, in Alvedia iacuerant.

*Theopolitani sive Gottingenses Lutheranæ factioni manus dederunt hoc anno [1529] & aliis solita perfecerunt. Vnopolitani autem sive Eimbeccenses, iam ab aliquot annis factioni isti dediti, mira eam dementia lustraverunt. Prædictor illorum supremus nundinarum tempore consam, & circumpositis plurimis monachum exuit & professionis habitum humi positum pedibus protrivit, tam illi quam diei, qua ipsum induerat, maledicens & omnino detestans; quod (ut opinabatur) inventionem diabolicam saperet. Et dein sui erroris, è monasterio ibidem Augustinianorum, fratrem discipulum assumpsit, tam mente quam astate delirum, *Dornewel cognomine*. De aliis quidem taceo, qui monasterio eodem discendentes in dogma Lutheranum declinavere. Sed hunc, quia semper illi adhæsit unum cum ipso factus, plurimisque venenum infudit, annotavi, cum fratre Ernesto, socio factionis, haud se meliore. Hic quidem sub religionis habitu latitans, filiam unam genuit, quod latere tunc quidem voluit. At apostata factus, eandem ipsam filiam, quasi bene meritus ipsa fornicatione si non adulterio, publice filiam suam recognovit, & ut pater nuptui tradidit, plurimis ad nuptias vocatus; nihilque eorum, que ad patrem spectant, ea in re non tentavit.*

Animatis exin *Lutheranis* in detestationem sacerdotum, monachorum & monialium, vias Domini rectas subvertere gestiebant. Exiticii isti monachi & uxoria rei dediri, unum illis modum effixerunt, quo tam sacerdotes quam moniales locis exturbarunt. In sacerdotes igitur plurima tentabant: ad moniales autem & ad sorores Franciscanas accedentes, ut viris nubentem, impetravere; & monasteriorum clenodia ac privilegia sibi tradi postularunt. Pater & aditus cœnobiorum & loca solis Deo dicatis eousque cognita, cunctis volvere fieri per via. At non concessere neque cessere viris fœminulæ, verum propositorum sibi agere velle, prorsus nihil dixerunt, etiam si mori oporteat. Porro autem illi ad monialium verba confusi, sua sponte ad deliberandum inducias dederunt, & nisi votis obsecundent, durius se acturos spondentes abscessere. Tandem non ferentes se pene expugnatos, domum sororum Franciscanarum perviam omnibus fecerunt: cœnobium vero virginum, cum nihil amplius possent, (nam fœminis viros cedere oportuit) occluserunt, nec aliquid participationis cum aliquo habere sinentes, minis & quidem plurimis illas pulsaverunt. Et ut fortius arcerent, sibi que ocyus assentiri compellerent, pecudibus & ancillulis una cum monialibus monasterio introcludunt, novis seris veteribus iunctis: quas ne quis fortassis arte quapiam aperire posset, plumbo illis infuso studuerunt præcavere. Hac re nimis afflictæ fuerint sanctimoniales fœminæ, nonnullis ex pecudibus deficientibus. Conventæ tamen à Lutheranis impiis civibus, an connivere vellent sententiis: magis illos verbis invectivis læsere quam armis potuerint. Nullus, dixerunt, ex vobis blasphemis hominibus id suo porco inferret, quod nobis imponitis. Filiæ vestræ sumus; caro & sanguis ex vobis nonne nobis est?

Siccine probe agitis in fœminas imbelles? non est vobis opus cœnobium accedere, ut sciscitemini nostrum assensum. Nulla namque vi ad itandum in vestram sententiam nos compellere poteritis. Illis auditis, non seris monasterii foribus appositis fidem habuere: at noctes diesque vicissim custodiam obierunt, & igni ad pellendam hiemis asperitatem accenso vigilarunt circumpositi monasterium. O dementiam, Domini pulchrum exercitum sive virginum choros filii diaboli circumdant. Sed supervacaneo labore excubitatores atteruntur. Una interea temporis ex fœminis istis, viris anteferendis, Deo concedens diem obivit extremum; quam nonnisi funibus ex alto foras demitti obsidentes cœnobium concessere. Et quidam eorum satis adhuc moleste tulerunt depositam, & non nisi campis silvestribus inferendam sepeliendamque declamaverunt. Aliis tamen & aliis in re alias sentientibus & decernentibus, sub discrimine litigantium loco illis consueto terra commendabatur. Alia præterire statui, multa nimis, crudelia nimis. Ab impiis enim egreditur impietas & sordentes sordeſcunt.

Quan-

Quantum autem Eymbeccenses cum suis monialibus profecerunt, tantum cum suis Gosla-  
rienses, tantumque cum suis Brunsuicenses, didiceruntque insuperabiles esse foeminas, & impe-  
tum ferre non posse, & id quidem naturâ; magis autem Deo per infirmiores illa, viros ex-  
pugnante.

Anno 1530 Lubicenses & Lunenborgenses factio Lutheranæ subscripterunt, præalentibus  
contra civitatum rectores promiscuis plebis.

*Mandato Cæsareo Principes in Augustam convocantur.*

**P**Erfidia Lutheranorum Cæsarem ex Hispaniæ finibus terris nostris advenire coagit, qui de-  
scendens per Italiam, cum Bononiam venisset, illic a Papa Clemente exceptus, maximo  
cum triumpho coronatur & Augustus creatus salutatur. Deinde missis litteris ad omnes Ger-  
manie Principes, in Augustam citavit ad primam mensis Maii. Quibus adunatis, adventus  
sue maiestatis gravitatem exposuit; & tamen minime sese abstinuisse vel sibi pepercisse asse-  
veravit, tum propter Turcarum gentem finibus Christianorum propulsandam, tum propter  
dissensionem Principum Germaniæ, & ecclesiæ diversitatem expurgandam. Verum licet  
ab ipsis Kalendis Maii Principes adunati fuissent adusque mensem Octobrem, & Cæsarea ma-  
iestas p. revocatione Lutheranorum plurimum laborasset: nihil tamen absolutum vel con-  
fectum fuit, semper contra nitentibus ipsis Lutheranis; & ubi non poterant contra, conci-  
sum generale appellantibus. Erant autem male de unitate ecclesiastica sentientes, quin &  
fide disceptantes, unum pene facti cum Hærefiarcha Luthero Ioannes Dux Misnensis, Philippus  
Landgravius Hassiæ, Marchio superior. Ernestus Dux Lunenborgensis, Comes Anholi, Civitates  
quinque Nurenberga, Argentina, Constança, Memmingen & N. cuius nomen a memoria excidit.  
Cum itaque ad perfectum usque possent nihil, datis inducis Lutheranis, ad meliuscule de-  
liberandum, Principum comitæ soluta sunt. Nonnulli tamen Principum Lutheranorum,  
priusquam solverentur, loco discesserunt, sed non nisi clanculum; inter quos Comes Hasso-  
num numeratus fuit.

*De electione Abbatissæ.*

**E**T aliud posteris intimandum iudicavi. Cum ob dissensionem inter Abbatissam & Præ-  
positam in superioribus notatam, ipsa Præposita foris moliretur plurima in adversam sibi  
partem, & contra etiam Principem in Consistorio Imperiali ageret: nova excuderent necesse  
fuit retia, quibus ipsis Præpositæ consilia illaquearentur. Cum autem ipsa Abbatissa, gene-  
rosa Domina Gerrrudus de Regenstein ob ætatem iam interitu proxima videretur, id consiliis  
cum canoniciis Princeps Hinricus excogitavit, ut filiationis scilicet iure ac nomine nova Abbatissa sur-  
rogaretur; quo saltu, & quidem unico, duos pariter apres caperent: primum videlicet, ne  
locus Præpositæ daretur, quæ se litteris Apostolicis in Adiutricem dixit Abbatissæ confirmatam.  
Deinde vero, quia in ecclesia Gandesiana ius sibi usurpasse Princeps dicebatnr, nulla sibi ratio-  
ne debitum respectu electionis in filiam factæ, iure optimo tentata exsequeretur. Verum  
præter aliquam dominarum electio canonica claudicasset. Satagunt unam ex Bohemorum Prin-  
cipibus sive Comitibus sibi adsciscere & in Decanam assumere. Qua præsto, uno omnes consen-  
su in Principis Hinrici filiam, nomine Mariam vota dederunt. Et rata habita elecitio, quod  
filia ob ætatis immaturitatem non potuit, Pater spondet se facturum. At si vaticinari licet,  
si quod præsentiscere adiacet, præfigere ac dicere; si filiam Principis Abbatissam habent, fu-  
turum est & patrem patientur Abbatem. Fausta, fausta, ecclesiæ Gandesianæ matri nostræ,  
quondam corona nostra.

*Fratres S. Michaelis in Hildensem includuntur.*

**C**Vm fratres Sancti Michaelis in Hildensem post maximas violentias bellico tempore perpe-  
fas, novis & iterum novis exactiōibus per Consulatum sive Primates civitatis pulsati-  
rentur, consilio quorundam pacisci dissuadentium, Imperiale Consistorium adiere, contra-  
infestos monasterio agentes & mandata impetrantes. Acceptis mandatis Cæsareis, rem Hil-  
desianorum regentes paruere quidem ad dies aliquot: at veteribus nondum probe sopitis,  
novis iterum aggrediebantur postulationibus (ut putaverunt) quiescentes. Sic vicissim ex-  
periebantur quid possent. Ipsi subventiones postulavere, illi ad Consistorium Cæsareum ap-  
pellavere, citoque, non præter gravissimos sumtus, comparere cives compulerunt. Ita-  
fere annis decem certantes, & quietis impatientes, in alterutrum lites movere. Anno tan-  
dem hoc [1532] cum post festa paschalia fratres sibi mandata Cæsarea in Hildesianos impetra-  
vissent, & ea per mandatarium Imperialis Consistorii præsentari consulatu curavissent, pa-  
ruere quidem mandatis reipublicæ præsidentes, quoad mandatorum executor Hildesiæ man-  
fit. Verum, cum ille loco discessisset, vix unum passi diem præterire, consulatus una recto-  
ribus mechanicarum artium cœnobium ingressus, Dominum Abbatem cum omnibus fratri-  
bus in refectorium positos, violenter concluserunt, positis custodibus, immo & inclusis cum  
ipsis

ipsis quibusdam tibibus, qui summa diligentia & inclusos custodirent, ne effringerent; & ne aliquid vel disponerent vel secreti tractarent, observarent. Cunctas etiam monasterii & ecclesiarum forem obfirmaverunt clausuris, intus & foris habentes custodes, qui adventantes repellent, & raptorum infidias praecaverent. Locus ergo ubi reficere se ante solebant, omnia illis factus est: illic dormire, illic orare, illic comedere illos oportuit, illicque denique digestis relevari. Illic ciborum nidor, illic egestorum etiam fœtor. Neminem pro illis actuum admittere voluerunt, nisi prius se vadem dedisset, pro inclusis; & quod morem gere vellent Hildesianis & ob rem illatam non se vindicare. O rem audacia plenam! rem violentia insignem! At temporis malignitate acta, qua Clericis iura profuere nihil. Sederunt inclusi hebdomadas tres. Utinam tres aut quatuor dies ultra sustinuissent. Licet enim nulli vel modicum loqui cum illis permisum fuit: nonnulli tamen Patrum & fautorum illorum diligentia contra violenter agentes Hildesianos ex Consistorio Imperiali mandatum obtinuerunt, quod illos quidem solvisset, istos vero judicio fistere iussisset. At nonnulli fratrum & moræ, & (ut putabatur) misericordia impatiens, cœptis desistere maluerunt & cum hostibus pacisci; quam in incertum expectare. Sicquè factum est, ut in sententiam Hildesianorum, non secus atque ambobus pedibus itarent; & litteris sigillo firmatis, & se exactiōnē quam postulari fuerant, datus, & nunquam aliunde quam ex diœcesi & ducatu Brunsvicensi fratres collecturos promitterent. Insper & ob contumaciam condemnatos Hildesianos in Consistorio Cæsareo redimere, & absolutos habere, & facere multa alienos promiserē. Fratrem autem illum, qui contra Hildesianos Consistorium adire Cæsareum solebat, non cum aliis refectorio inclusum sed carceri mancipatum durius tractaverunt, & tam iuramento quam scriptis enodari vinculis necesse fuit. Quam ergo dissidere grave sit, liquet; quam malum contra cives agere, patet. Factum est enim, ut exactiōnē quam exigebantur, si more aliorum pacisci voluissent, trecentis aureis redimissent, quam postea integrum, scilicet milie florenos, dare illos oportait; exceptis illis aureis, quos altercando & litigando ad tribunal Cæsareum exposuerunt. Egerunt & contra Philippum Ducem in Grabenbagen, eo quod illis bonis quibusdam prohibuisset. Isti citabant, ille comparebat. Veteri ille prohibitus novis indulgebat: iterum isti mandatis urgebant Cæsareis. Verum, cum aliquando liti dari finem visum fuit, noluit Princeps vel a minimo cedere: noluit vel audire, nisi primum eam summam refunderent florenorum, quam illorum gratia condemnatus, cause impendisset. Ante ergo causæ decisionem trecentos illi aureos dare compellebantur, & adhuc vix in modo cum illis pacisci voluit.

Postridie autem cum pactum inissent cum Hildesianis, missus a tribunali Cæsareo mandatarius, Hildesiam venit, & perditis expensis res intacta permanit.

### Cometes apparuit.

**H**oc anno [1531] cometes apparuit stetique satis diu. Circa enim festum Matthei primum nobis apparuit, vidimusque eum in die Simonis & Jude Apostolorum. At extunc, nubibus atris cœlum tegentibus, quo die cessaverit vel defecerit, videre hand quivimus. Ut ad nostrum visum iudicemus, super Sebusen oriri videbatur: mane circiter quintam horam supra Brunnehusen stetit; caudam primum quidem Gandefiam versus ditigens, postmodum vero in altum extendens, cum supra Clusam veniret, diœli luce fulgore suo devicto non videbatur. Dixerunt tamen nonnulli, quod vespere in occidente spectaretur. Anno etiam superiori, Assumptionis Marie Virginis cometes oriebatur, & temporis successu augmentabatur. Ad visum nostrum super castrum Wyntzenburgum videbatur oriri, ut paulo post declinavit, & semper inter occidentem & aquilonem suæ stationis locum tenuit. Ferme hebdomadibus quinque apparuit.

### Coincidentia temporis.

**N**obiscum actitata scribere quidem propositi fuerat: at temporis malignitas etiam aliis vacem scribendis compellit; quibus ad notitiam posteriorum deducētis, quantis nos modo premamur malis, innotescat. Hoc anno [1533] Hannoverenses Lutherano dogmati manus dederunt. Civitas sive civium multitudo vesana manu armata consulares prætorio discedentes circumdedit, & vi gravissima sibi iurare compulit, fautores ad novi dogmatis introductionem futuros. Gottingenses ab aliquot iam annis factioni studentes Lutheranæ, eos, quos hoc usque clausos monasterio Franciscanos exire non permisere, modo vi civitate expulerunt: qui crucem præcedentem subsequentes, multorum rem dolentium animos dolore & meroe affecerunt. Dux Lunenborgensis Ernestus plus magisque insaniens, cum non persuasionibus illecebrofis educere monasterio sanctimoniales posset, vi iniqua cepit uti. Wynbusense namque monasterium accessit, & primum quidem Deo dicatis virginibus nuptias suadere conabatur: quas ubi persuadere non potuit, extractas virgines se curribus impositu-

Aaa

rum

tum, & earum parentibus & amicis remissurum nuptui tradendas fulminavit. Deinde vero monasterium diruere atque lapides castro suo Gyhorn invehere velle dixit. At ubi constantes videntur, positis illic provisoribus, qui *occlusis* dominarentur, recessit. *Susatum* civitas Westphaliae dogmate eodem perversa, omnes canonicos loco expulit: secuta morem, *Bremensium* & *Myndensium*, qui insinantes non canonicos solum sed & patres ordinis nostri cœnobii fugavere. *Hamelenses* etiam hoc anno Lutherani fuere facti.

*Cometes* & hoc anno, uti superioribus annis duobus apparuit, & quidem primum in altum caudam erigens versus *Clusam* paucis noctibus: deinde vero *Gandesheim* versus. Sic visibatur ad tres hebdomadas. Inter undecimam & duodecimam horam nobis oriebatur visibilis, respicientibus ad septentrionem e cellis fratrum. Nocte autem Divi patris nostri *Benedicti*, qua eius commemorationis festum agitur, primum visus fuit. Ille anno superiore nocte *Lamperi* martyris: hoc autem anno, dicta Patris nostri commemorationis die, videbatur, & sic anno uno binos cometas, & diversis in locis stetisse invenies.

#### *De accidentibus anni 1538.*

**S**æpe quidem ad Plinianam murem, quam videlicet in foeminino prætulit genere, & ab ea centum & viginti mures genitos dixit, obstupui fateor. Sed hoc rem non grandem fuisse, & auditu & visu didicimus omnes. Venit enim *mus* (ut ad scripturam loquar sacram) gravissimus, & ut quondam musca Ægyptum, & nostras nunc quoque terras mures, opplegevit. Cuius quidem rei causa alii curribus & equis aquas agris invexerunt, quibus cavernis infusis mures invenere muscipulas: alii aliis modis in necem illorum sudaverunt; adeo ut nonnunquam una nocte plusquam trecentos nonnulli captos vel mersos invenissent. Et adhuc ad prævalendum muribus parum valde profecere. Ambitior, ob nimietatem soricum, non unam centum & viginti fudisse partu fœdo, sed plurimum excessisse numero Plinianam murem.

#### *De premonitione caritatis.*

**A**nno superiore [1538] in annum usque hunc, nescio quomodo, Deo volente, tantæ famis premonitio quædam fuit facta. Primum enim noctis tempore bis terque in hebdomada audivimus frumenta in lobio motari, & quasi infarciri faccis; immo & incerniculo infundi, & a pulveribus purgari: pisa quoque in locum de loco proiici. Unde & nonnulli fraterum ita actitanti, nescio cui, signa dederunt. Ubi autem id audivimus, lemuribus ascripsimus, & rem non magni fecimus, dicentes: ille fortassis vel iste reversus ab inferis frumentis ludit. Tandem autem in profecto Divi patris nostri *Benedicti*, omnibus nobis in dormitorio post completorium (ut dicimus) constitutis, multum in frumentis, ut videbatur, laboravit in lobio supra nos, & par rimas pluteorum, etiam videntibus cunctis, plurimum filiginis decurrere fecit ad lignorum cumulum iacentem. Et mirum dictu, quod nos audire putavimus, quod videre; deportatis paulo post lignis, non invenimus, quamvis copiose ad nostrum conspectum filigo decurisset. Ex tunc autem cessavit, quasi omnibus in concione iam premonitus, & ad rationem futurorum sumendam taliter doctis. Et licet, dum sic pie moneremur, varie rem interpretaremur: illico tamen ipsa se res manifestavit, quod frumentorum rationem nos assumere voluerit in monasterii profectum. Veram proinde Doc. Jacobi Carthus sententiam experiri licet, quod multæ videlicet fiant hominibus premonitiones, diversis, Deo disponente, modis. Sed rarus est, qui vel intelligat vel advertat.

Anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo Abbas *Conradus* debitum naturæ perfolvit, in cuius locum *Joannes Mucken Alvendianus* à toto conventu unanimiter eligitur & confirmatur. Habuit autem sub se, quos sequens calculus demonstrat.

Conradus Ascuinus Prior.  
Hermannus Rüden.  
Johannes Stein.  
Conradus Stein.  
Henricus Boden.  
Henricus Ecklef.  
Henricus Kothman.  
Theodericus Helves.  
Andreas Emmerman.